

NOVA
VARIORUM SCRIPTORUM
CONLECTIO

TAM
EDITORUM QUAM
INEDITORUM RARIORUM ETIAM, ET RECENS ELABORATORUM,

QUÆ OMNIA INTEGRA DANTUR.

FASCICULUS PRIMUS.



HALÆ MAGDEB. A. MDCCXVI.
PROSTAT IN OFFIC. RENGERIANA.

CONTINENTUR IN HOC FASCICULO *PRIMO*.

I.

JOH. PHILIPPI HEINII

OBSERVATIONUM

QVIBUS

SACRÆ ANTIQVITATES, PHILOLOGIA, HISTORIA, ET VARIA CODICIS S. LOCA ILLVSTRANTVR,

LIBER PRIMUS.

ANNO MDCCXVI.



PRÆFATIO.

Lecturis Salutem!

§. I.

ERunt, ac fortassis haud exiguo erunt numero, qui conspecto opusculi mei titulo, vociferabuntur: Vah! nondum observationum finis! Nihil tamen observatur, nihil scribitur, quod non jam ab ultima sit observatum antiquitate, aut ab aliis jam Autoribus vel centies notatum. Erunt, inquam, qui, ne hæc invi-

do protulisse animo videantur, testes sollicitabunt quavis exceptione majores, Regum Sapientissimum SALOMONEM, *sua quoque ætate nihil quicquam sub sole novi contingere* testantem, & lepidissimum Comicum TERENTIUM, idem Proverbio dudum ore vulgi celebratissimo affirmantem: *Nihil dictum, quod non dictum prius.* Horum suffragiis, quin mihi scribendi pruriginis, aut illaudatæ novitatis, aut vanæ quæsidæ gloriæ inuratur macula, nullus dubito.

II. Verum tantum abest, ut aut exclamationes hasce invidiæ plenas pertimescam, aut mihi laudatissimorum *Virorum effata* timorem incutiant, ut potius dubitanti animum adjiciant: Quandoquidem non solum quod ad illa reponam in promtu habeo, verum etiam non rejiciendam mei laboris possum exhibere rationem. *Terentio* jam dudum os obstruxit DONATUS ille Grammaticorum doctissimus, quem HIERONYMUS, fulgidum illud eruditione inter sanctos *Patres* sidus, cum laude memorat ad *Comici* verba erupisse: *Pereant, qui ante nos nostra dixerunt!* Ego vero *Terentio* eandem gnomam nullatenus vitio verto, quippe conscientiæ morsu expressam; siquidem *Comædias* se non e sui promtuario cerebri depromsisse, sed aliorum, sc. *Menandri*, *Scipionis*, *Lælii*, debuisse ingenio ipse haud diffitetur, ut ad neminem magis,

gis, quam se ipsum quadret Adagium, *nihil* (SIBI) *dici, ab aliis non dictum.* *Salomonem* vero de repetitis doctorum virorum lucubrationibus, ceu *Crambe millies recocta* nondum conquestum audivimus: quoniam hac querela sibi ipsi non pepercisset. Itane *Salomonem*, divitiis non minus quam Sapientia innumeris regibus præstantem, *sententias* suas ter mille aliis ex *Parocmiographis* exscripsisse, aut aliunde mutuatas memoriæ mandasse quis credat? Aut quæ de *animantibus plantisque* docta composuit *volumina* aliorum ex schedis consarcinasse? Quo casu *Salomonis*, utpote *Plagiarii*, minime tanto cum Encomio elevasset doctrinam S. Scriptura. Scilicet non eruditionis vanam repetitionem, sed quotidianam hominum *miseriam* deplorat *Salomo*, qua in re nihil novi contingere sub Sole lubenter concedimus.

III. Juvabit vero paululum *Terentiano Apophthegmati* inhæsisse, siquidem vix quendam serio illius suscepturum patrocinium existimo. Verone consonum *nihil novi* uspiam aut scriptum aut scribi? Quod si: sane statuendum erit, nunquam aliquid novi factum aut fieri; quia ea tantum quæ evenere literis exarantur. Quo casu, quin in errores prolabamur, evitare non possemus. DEUSne T. O. M. quo momento e voragine nihili *universum* pulcherrime exornatum in lucem protulit nihi

 vel

vel *novi* patravit vel insoliti? Num immenso ante *Adamum* spatio *homines* finxit, ne novus incola telluris homo e gleba pulverea prodiret? *Adamus* num plus vice simplici de *fatalis* fructibus *arboris* manducavit, an pluries Paradiso expulsus, ne novi aliquid sub Sole accideret? Si vero hæc *semel* gesta, quod certissimum, tunc profecto, qui illa primum mortalibus retulit, *novi quippiam* commemoravit. Num DEUS Mosi *novas* in monte Sinai tradidit *leges* de Cæremoniis, utrum ab alio jam illas *legislatore* accepit mutuas? *Psalmos* scil. Regum piissimus *David* ab alio perdidicit, & *Jesaias* Evangelista propheticus alios prophetas tam clare quam ipse de MESSIA vaticinatos imitatus est? Ex quo vero *Daniel* LXX. *septimanas* hausit, & excisum in ultima septimana *Messiam?* MESSIAS ipse, quem ardentissimis *Patres* suspiriis exoptaverant, quem ingenti desiderio expectaverant, nihilne *novi*, inauditi, admirandi sua nativitate, ministerio, passione orbi terrarum intulit? Quis ante *Apostolos* gentibus Evangelium prædicavit? Num PAULUS, vir divinus, dicta sæpius & multoties *recocta* in tertio cœlo auribus percepit? & cuinam scriptori ille excellentissimam ad *Romanos epistolam* subripuit, contentamque in illa doctrinam, hucusque non satis explanatam, *æternæ fidelium electionis?* Nonne *dona Spiritus S.* initio Evangelii credentibus distri-

ſtributa erant recentia? nonne recenter inſtituta *Sacramenta*, & *SS. Trinitatis myſterium* veteribus oraculis involutum luci pandebatur? Præterea undenam quæſumus *Juſtinus* ſua deſumſit, vel rigidisſimus Patrum *Tertullianus?* Quo duce *Origenes* utebatur, quo *Hieronymus*, lucida Eccleſiæ aſtra? Quisnam ante *Auguſtinum* peſſimum Hæreticum *Pelagium* retudit, aut ſalutarem de gratia doctrinam perplexis nodis liberavit? Quid hæremus in priſci temporis caligine? Noſtra ætas viros tulit nulli ævo æquandos, quibus *εὑρημάτων novorum* gloriam nemo præripuit, auferet nemo. Sola nomina, at quanta nomina! ſufficient demonſtrandæ veritati. Habuimus *Scaligeros*, *Caſaubonos*, *Seldenos*, *Bochartos*, *Coccejos* &c.

IV. Quid rei Sole meridiano lucidiori immoror? DEUS T.O.M. venturis annis majus quam præteritis reſervavit in ſui *cognitione* incrementum. Noſtra videlicet ætas arma validiora requirit, a ſcientia comparanda, quam *Chriſtianiſmi incunabula*, ubi *Viri Apoſtolici*, cœleſti potentia ſuffulti, inimicorum catervas oris halitu facile diſſlabant, & *hæreſium* monſtra divina ſapientia debellabant. Hæc deſunt nobis tela. *Hoſtium* vero numerus, robur & violentia immane quantum crevit. Ii tenuibus non propulſantur ſpiculis. Laborandum eſt, orandum, acquirendæ auxilio Supremi

Numinis eruditioni. Nervi sunt intendendi, argumenta ponderanda, judicium exacuendum. Si nihil prorsus *novi* procuditur: *inventis* tamen aliquid additur. Veruntamen quod additur, *novum* est, augmentum inventi. Num igitur exoso *novitatis* vocabulo doctrinæ incrementum, erga nos ipsos injurii, suffocabimus, armis eo facilius nostris e manibus extorquendis? Ne fiat! *Nova* enim quæ sunt, si sint utilia, eo minus respuenda, quia & *nova*. Certum exploratumque habetur, *innumera* Veteris ac Novi Testamenti *loca* densissimis spinetis esse obsita, quicquid iis removendis Commentatores tentaverint. Aliunde constat, DEUM nobis verbum concredidisse suum, ut illud nocturna diurnaque volveremus manu. Præterea constat, plurima quæ priscis sæculis visa sunt Patribus spissæ caligini immersa, nostris annis esse disjectis tenebris in lumen protracta. Quare itaque negamus, quæ nunc loca vepribus horrent, unquam fore extricanda. DEUSne *clavem* nobis abstulit *cognitionis?* Florere scientias omnigenas illius favore Numinis comperimus. Quocirca quid valeant humeri explorandum singulis, ne solum aliorum fruentes laboribus, ignaviæ crimen incurramus.

V. At at, nonnullos hic obstrepentes audio, quid *novitatem* ita defendis? Tune nobis nihil nisi καινὸν, ἄῤῥητον, stupendum, ne-

nemini traditum crepabis? Minime gentium hanc mihi præfixi metam, ut nihil omnino non dictum dicerem. Multa mihi scribuntur, aliis scripta, nota & ignorata: verum ego tenuis mei vires judicii adhibui, num quippiam possem aliis nondum prolatum docere. Propositone exciderim an secus, me eruditioribus æstimandum relinquo. Hoc asseverare non vereor, *materias* mihi pertractatas penes alium me non reperisse scriptorem. Omnino itaque fieri potuit, quam parvis mea doctrina includitur finibus, ut alius de iisdem *materiis* me quoque doctius & melius scripserit. Hunc tamen me non novisse scriptorem lubens fateor. Demus ergo alii easdem, quas mihi incidisse cogitationes. Id nihil impediet, quo minus mihi æque ac illi primam *inventionis gloriam* vendicem. Sufficit videlicet, me neminem suo labore privasse, sed *meas* meæ me debere industriæ *observationes*. Exemplum hujus contigit negotii. Calamo vix dissertatiunculam de *Ægypti* consignaveram *Etymo*, cum manibus *Abeli Historia Monarchiarum Orbis antiqui* incidit, quam perlustrans, didici *virum* illum *eruditum* eandem mecum fovere sententiam, eandem *doctissimum* approbare *Cuperum*. Laudem εὑρήματος *Viro* docto non invideo, mihi vero quoque attribuo. Imo tantum abest, ut propter-

ea indigner, ut potius glorier, *derivationem* meam non tantum aliis haud displicuisse viris me doctioribus, sed eandem quoque illis ipsis suboluisse originem. Quod enim fortius possem requirere testimonium confirmandæ meæ sententiæ, quam plurium testium consensum unanimem?

VI. Dum huc delabor, video mihi paululum subsistendum circa *expositionem* loci GEN. III. quam *Capite primo* lectorum judicio submisi. Mirabuntur nonnulli, cur illius *opinionis* nullam injecerim mentionem, quæ verba כאחד ממנו non de *S. S. Trinitate*, sed de DIABOLO intelligit. At cesset miratio, nam & mihi conscripto *capite* oblata est hac de re *Cl. Zeltneri* dissertatio, qui locum interpretatur: *Ecce Adam factus est sicut unus ex illo*, (serpente, diabolo,) *ita ut eodem modo bonum malumque expertus sit.* Putatque *Sermonem* esse *succensentis DEi*, Adamum reprehendentis, & cum rigore statim Paradiso expellentis. Ego vero quin hujuscemodi *expositio* mihi maximopere displiceat, non diffiteor. 1) Principio *Serpentis* vocabulum in *octavo* a nostro commate *versu* retro commemoratur, multis aliis interspersis, quibus cum *serpente* nullum erat commercium. Quod si itaque de *serpente* sermo divinus capiendus, illius nomen nulla ratione fuisset subticendum. 2) Non solum

col-

colloquia quædam interveniunt ultimam inter *Tentatoris* appellationem, & *locutionem* Summi NUMINIS: Sed, quod imprimis animo observandum, *actiones*, sc. *impositio nominis* Evæ ab Adamo facta, præparatio *vestimentorum* &c. Quo casu connexio plane abrumpitur: ut nullo pacto *pronomen* in ממנו ad *Satanam* referri posssit. 3) Caussam posco, quamobrem *Diabolum* nomine non citasset DEUS. Num horruit *Dæmonis* memoriam, ut Judæi, qui *suem* (quem aversantur) non *suem*, sed דבר אחר, REM ALIAM vocant? At DEI nutu *malignus* ille *Spiritus* potius inhorrescit & contremiscit! NUMINIS potentiam intrepidam cuncti boni vel mali reverentur! Utrum forsitan indignum judicavit, cujus impurissimum *nomen* Ore sanctissimo enunciaret? Minime gentium. CHRISTVS *exactissima patris imago* non semel *infamis spiritus nomen* prolocutus est: Sæpiusque Sacro in codice recurrit, certissimo indicio, ejus *mentionem*, ubi requiritur non esse occultandam. 4) Porro, quæsumus, quid hæc sibi volunt: *Sicut unus ex illo*. Unus multitudinem postulat. Si ad *Serpentem* restringitur Phrasis, dicendum: כנחש, *factus est sicut serpens*. Si ad unum *Angelorum diabolicorum*, dicendum: כאחד מהם, *sicut unus ex illis*; Nequaquam: *Sicut unus ex illo*. Quid hoc est, inquam:

Sicut

ficut unus ex illo. Autor etiam varie hic agit, & quomodo fe exprimat, fere nefcit. Principio habet, *ficut unus vel aliquis ex illo* (ferpente.) Deinde, *ficut aliquis ab eo* (ferpente) *corruptus Angelus malus.* Vel, *inftar unius ex illo ordine fcelerato.* At at immane quantum *hæ* loquendi *formulæ* difcrepant. Aliud longe eft: *Sicut unus ab illo.* Aliud, *ficut unus ab illo, CORRUPTUS.* Ejusmodi participium eft *corruptus*, ut, nifi apponatur, fubintelligi nequeat. Præterea ejus præfentia *fenfus* Sermonis ftatim invertitur. Nec magis conveniunt, *ficut unus ab illo*, & *ficut unus ab illo ORDINE fcelerato. ILLE* unitatem includit, *ORDO* multitudinem. Hæc oratio admittitur. Illa multum infolentiæ continet. Exemplis hoc probemus. Num phrafis, *ille eft ficut tu*, Hebraice rite proferretur, זה כאחד ממכה *ille eft ficut unus ex te.* Num probe dixiffet *Adamus* de filio *Setho*, quem ad fui fimilitudinem progeneraverat: *Seth filius meus* כאחד ממני *Sicut unus a me.* Quam abfone. *Unus* neceffario flagitat *pluralem* comparationi rite inftituendæ. Appofita eft oratio: *Sicut unus e MULTIS.* Abfurdisfima vero: *Sicut unus ab ALIQVO.* 5) SERPENTIS hactenus folius vocem divinus Scriptor *Mofes* ufurpaverat; nihil de *Serpentis affeclis*, feu cohorte *Spirituum improborum* fcripferat. In *fer-*

ſerpentis quippe *ſemine* non magis latent Satellites *Beelzebubi*, quam *Angeli* ſanctitate nitentes in *ſemine mulieris*. Qua ratione itaque DEUS T.O.M. ex improviſo, obſcuriſſima oratione, *infernalis exercitus* memoriam excitaret, *ſicut unus ex illo* i. e. *ex illo ORDINE ſcelerato*. Perſonarum S. S. *Trinitatis* monumentum extabat in *Plurali*: *FACIAMUS hominem ad noſtram imaginem*. *Serpens* vero Moſi *unicus* memoratur. Quia tamen *Adamus* æque *ſerpenti* conformis evaſerat, quam *uni* ex damnato *Angelorum* cœtu, ſine ambiguitate DEUS pronuntiare potuiſſet: *Ecce nunc Adam factus eſt ſicut ſerpens*. 6) Duriſſimum eſt effatum, & maledictionis plenum: *Ecce Adam factus eſt ad imaginem Diaboli*. Jam vero effatum *Numinis* non eſſe aut *indignantis* aut ſuccenſentis, ſed hominis ſortem *miſereſcentis*, in ipſa *diſſertatione* declaravimus. Præterea argumentum *ſupplicii* meriti audiverat Adamus; Sed & *conſolationem* acceperat, & benevolentia NUMINIS recreatus erat. Num poſt reconciliationem de novo excandeſcens intonuiſſet DEUS: *Adam, qui jam loco meæ Dæmoniacam fronte præfers imaginem, apage te ex Paradiſo!* Quam terrifica perculſo homini vocabula, a placato non expectanda Numine. Peccanti leniſſime inclamaverat: *Adam, Adam, ubi es?* DEUS


vero

vero variationis inexpertus, suo favori nullam *lituram* inducit.

VII. Ad devia nos abripuit differendi fervor. Nec tamen discedendi copiam habemus. Negleximus in Cap. I. §. VI. *exempla Hebraica*, nescio quo fato, significationis היה Fuit adducere. Quorum tamen immensam coacervare congeriem liceret. Pauca satisfacient. 1. Sam XVIII, 16. *Abigaili* narrant servi, quantum commodi *David* in deserto iis præstiterit, adduntque: חומה היה עלינו, *murus* Fuit *nobis*. Non amplius erat. Eccles. I, 9. מה שהיה הוא שיהיה. *Illud quod* Fuit *idem est quod erit*. ib. v. 16. על כל אשר היה לפני *super omne quod* Fuit *ante me*. In eodem *libro* plurima notantur exempla. Καὶ ταῦτα μὴν δὴ ταῦτα.

VIII. Id nobis in principio saltem muneris credebamus esse datum, ut & novitatis invisæ aboleremus labem, & nostri occasionem scripti declararemus. Altero longiori circuitu defuncti sumus. Alterum brevissimis absolvemus. Quo soluto, peroratum erit. Meo si stetisset arbitrio, tenuitatis meæ annorumque memor, lubentissime pennâ abstinuissem. Eruditio enim hujus sæculi ad tantum ascendit fastigium, quo non nisi raris, quorum memoria infinita lectione turget, & judicium acumine plenum, & ætate est maturum adspirare datur. Verum,

rum, quæ nostri est conditio temporis, ut hederâ vinum, aula insignibus & vexillo exercitus: ita libris eruditi agnoscuntur. Scribendum itaque literato, ut *se tanquam Sorex suo prodat indicio.* Loquere, inclamatur, ut te videam. Nullus itaque me aliquid scripsisse mirabitur, qui me literis operam navare tenet. Scripsi vero publico docendo, & veritati manifestandæ: non acquirendæ inani nominis famæ. Quicquid jam de labore meo sentient homines mihi perinde esse debet. Quod si illum non omnibus sorduisse comperiar, Calcaris id erit in vicem, Volumini observationum alteri eo citius parando. Valete. Dabam, NONIS JVLIIS, AN. ÆRÆ DION. MDCCXVI. *Halæ Magdeburgicæ.*



IN-

INDEX OBSERVATIONUM.

JOH.



IOH. PHILIPPI HEINII,

OBSERVATIONUM SACRARUM

LIBER PRIMUS

CAP. I.

NOVA LUX AFFUNDITUR LOCO DIFFICILI Gen. III, 22. ECCE ADAM &c. QUEM SARCASMO DESTITUI HAUD VANIS RATIONIBUS ADSTRUITUR.

ARGUMENTUM.

Loci Gen. III, 22. vulgaris versio & expositio. §. I. Num Ironicæ locutiones obveniant in sacro codice, & quid *Sarcasmus*. §. II. Sarcasmo locum controversum destitui, rationibus evincitur. §. III. Alia loci exhibetur interpretatio. §. IV. הנה, *Ecce* pro pronomine demonstrativo. §. V. היה non *factus est* sed *fuit* significat §. VI. Quomodo Adamus *instar Dei*. §. VII. לדעת exponendum, *donec cognovit*. §. VIII. Quotupliciter phrasis sumatur, *cognoscere bonum & malum*. §. IX. Unde *Arbor scientiæ* nomen habeat. Vitringæ sententia rejicitur. §. X. Adamus denominationis arboris scientiæ ignarus sermonis ambiguitate a Satana decipitur. §. XI. Cur ab *arbore vitæ* depulsus? | & quæ hujus arbo-

arboris ratio. Symbolum præstabat immortalitatis. Locutio Elliptica: & *nunc ne extendat manum*&c. §.XII. XIII. XIV.

§. I.



Omo rebellis & lapsus irrisioni se divinæ & æterno supplicio subjecerat. Illud sibi non ignorari,pudore, metu, & occultatione, qua lumina pervidentis omnia numinis temere censebat se fallere posse, declarabat. At DEus misericordia tangebatur. Nolebat sempiterno interitui universum genus humanum addicere. Hinc edita maledictionis formula, quam homo peccator incurrerat, remedium duplex pro varietate pœnæ adjungit: Semen mulieris mortis antidotum, & vestimenta pellicea, (quibus pœna temporalis mitigaretur) tegendæ nuditati aerisque propellendæ injuriæ. Hisce ita constitutis DEus t. o. m. sic loquitur Gen. III. 22. הן האדם היה כאחד ממנו לדעת טוב ורע &c. Quæ verba Vulgatus vertit: *Ecce Adam quasi unus ex nobis factus est,sciens bonum & malum: nunc ergo, ne forte mittat manum suam, & sumat etiam de ligno vitæ, & comedat, & vivat in æternum. Et emisit eum &c.* Interpretibus plurimis scribitur, hunc DEI sermonem *ironia* amarulenta conditum, suam homini exprobrasse miseriam, in quam se,divinæ majestatis prærogativis inhians, præcipitem dedisset.

§. II. Non inficiamur,in verbis DEI aliquando ironiæ speciem, quam tropis inserimus inveniri. Quemadmodum apud Zachariam XI.13.Jehova, pretio 30.Siclorum, quo

quo Messias veniret, intentus, exclamat; אדר היקר *eximium profecto pretium, quo ab illis æstimatus sum.* Aliunde *risus* DEo & *illusio* adscribitur, quando hostium impotentiam scriptura exaggerat, ut Ps. II. 4. *Qui in cœlis habitat ridet, Dominus illudit illis*, i. e. floccipendit, nullam inimicorum rationem habet. At vero negamus & pernegamus, SARCASMUM, qualem in nostro loco quærunt interpretes, unquam ex ore DEI sanctissimo profluxisse. Est scilicet SARCASMUS *acerbior ironia, qua calamitate oppressis inimici cum cavillo insultant*, exque eorum malis risum & oblectationem captant: consequenter vitiosæ & corruptæ naturæ effectus, a DEI sanctitate omni conatu removendus.

§. III. Ut itaque sermoni divino, ad Adamum directo insistamus, *Sarcasmum* hinc procul facessere jubemus. 1) Num cum hostibus aut sui osoribus Deo res est? An idolorum stercoreorum cultores exsibilat? Utrum superborum vanæ potentiæ deprimendæ Mycterismo utitur? Minime gentium! Res est cum Adamo, nec integro, sed lapso, & omni calamitatum genere obruto, nec præfractæ mentis homine, sed timido, & tonitru divinæ excandescentiæ validissime perculso. Hunccine homuncionem lusisset supremum Numen? Quod si pertinaciter transgressionem negasset Adamus, si perfricta fronte arguenti Creatori restitisset, si indignum se & immerentem tanto clamasset supplicio, si pœnitentiam respuisset, & semen mulieris promissum nihili fecisset, tunc subsannationi divinæ expositum, nasoque suspensum adunco nullatenus demiraremur. At alia tempora alios flagi-

 tant

tant mores. Primus homo, quam commeruerat castigationem demisso vultu, & humili mente acceperat. Nihil oggranniebat, sed sui conscius facinoris, ad thronum Clementiæ divinæ se projecerat. Hiccine cum cavillis exceptus fuisset? 2) An inimicum DEus se Adamo ostenderat? Promulgaverat quidem ex inviolabilis justitiæ & sanctitatis norma in peccatorem & legis transgressorem maledictionis Schedulam: non tamen inimici vice. Cur enim remedium adjecisset? Hostis oblectationem ex infensi miseria captat, DEus Adami miserebatur. Nam. & curam illius gessit & prospexit illi, & malum averruncavit. Vindictam promiserat de seductore serpente, æternæ damnationis horrorem demserat, vestibus amiciverat. Hunccine, quem rursum in gratiam receperat DEus, & filiorum numero adscripserat, mox contemtim, & cum acerba ironia esset allocutus? Absit, ut talia menti nostræ inducamus. 3) Hostis alterum cujus aut potentiam pertimuit, aut iram, spe frustratum, cum irrisione excipit. Deóne gaudium attribuemus, eo quod tam pulcre scopo suo homo excidit? quasi vero aut timorem ob hominis concepisset audaciam, aut non antea infelicissimæ actionis eventum præcognovisset? 4) Ad hæc omnia illud maximopere perpendendum, DEum non hominem allocutum, sed in *S. S. Trinitatis Concilio* verba nostra esse prolata. Non ait: *Ecce TU* Adam factus es &c. Sed *in tertia persona: Adamus ille sicut unus nostrum* &c. Aberat ergo huic sermoni Adamus. Nam Elias præsentes Sacerdotes Baaliticos affatur 1. Reg. XVIII, 28. *Clamate VOS voce magna*, scilicet præsentibus illudebat. Aliunde

unde *verba sequentia* non possunt esse præsenti Adamo dicta: *Et nunc ne extendat manum suam* &c. ergo nec *antecedentia.* Quo probato nulla spes pro *Sarcasmo* superest. Quis enim vel in cogitationem saltem admitteret consensu Personarum trium divinarum habitum sermonem ironico lusu affectum esse?

§. IV. Harum gravissimarum sane rationum pondus me impulit, ut primo de *ironia* ex hoc loco *delenda*, deinde de *alio verborum sensu* cogitaverim, siquidem admisso vulgari commentario ironiæ quidam stimulus non potest non mentem compungere. Priorem sententiam tollendæ ironiæ aliis quoque placuisse Autoribus non nescio; aliam tamen eos inivisse a nostra viam etiam scio. Versionem vero quam adornamus, Autorem alium agnoscere, prorsus ignoramus. Nec enim ii sumus, qui aliorum famæ detrahant, ut suæ eruditioni consulant. Locum sic interpretamur: *dixit Jehovah DEus: Ecce Adamus ERAT INSTAR UNIUS nostrum, DONEC cognovit* (Hebr. *usque ad cognoscere*) *bonum ac malum. Et nunc, ne manum suam extendat, & capiat insuper de arbore, & comedens vivat in æternum* (emittamus eum.) *Quapropter illum Jehova ex horto dimisit.* Quæ interpretatio suis jam argumentis per partes est fulcienda.

§. V. Particula הן vel הנה *Ecce*, num unquam Sermonis Sarcastici in initio reperiatur, valde dubitamus. Est alias hujus particulæ talis vis, ut demonstret, & interdum cum demonstratione ad attentionem admirationemq; invitet. Heic vero nec attentio requiritur, nec admiratio; quandoquidem inter se *S. Trinitatis Personæ* colloquuntur

tur, quæ ut omniſciæ admirationis expertes, nec attentione, utpote quas nulla unquam tangit ſomnolentia, indigent. Itaque הֵן. *ECCE* hoc in loco *ſimplicem demonſtrandi* admittit *poteſtatem*, & pronomini æquipollet demonſtrativo, quod alia occaſione a Flacio obſervatum legimus. Nam quod Moſes Exod. XXIV. 8. expreſſit, הנה *ECCE ſanguis fœderis*, Paulo vertitur: τῦτο τὸ αἷμα τῆς διαθήκης, *hic eſt ſanguis fœderis* Hebr. IX, 10. Quare nec ſenſus noſtri Sermonis turbatur, pro הן adhibito pronomine זה, *Ecce homo*, i. e. *hic homo*, *hic Adamus*. Tertiæ vero perſonæ, qua Deus utitur, haud profecto concinne illuſoria phraſis adaptatur. האדם, Haadam, *Adamum*, hominum primum innuit: hoc enim nomine perpetuo notatur, & ab uxore etiam diſtinguitur Gen. II, 18. 19. 20. 21.

§. VI. Ecce Adam היה, Hajah. Vulg. *factus eſt*. LXX. γέγονε. Nativæ verbi ſignificationi inſiſtimus, quæ FUIT, vel *erat*, non factus eſt habet. Vulgatus ſuum *factus eſt* LXX. interpretibus debet, quorum γέγονε ſic convertit: Sed rarius id fieri poteſt, & magis proprie per *fuit* transfertur, quoniam Græcis rectius *factum eſt* dicitur ἐγένετο, ut dudum Viris doctiſſimis annotatum deprehendimus. Utriusque temporis diſtincta notio obvenit Joan. I, 3. Πάντα δι' αὐτῦ ἐγένετο, καὶ χωρὶς αὐτῦ ἐγένετο ὐδὲ ἕν, ὃ γέγονεν. *Omnia per ipſum* FACTA SUNT; *& ſine eo factum eſt ne unum quidem, quod* EXISTEBAT. Eodem Cap. ver. 30. Ὀπίσω μῦ ἔρχεται ἀνὴρ, ὃς ἔμπροσθέν μῦ γέγονεν. *Poſt me Vir veniet, qui* ERAT *ante me*. Poſt effuſionem phialæ ſeptimæ vox e templo

plo cœlesti prodiens intonuit: *γέγονε*, i. e. FUIT, ERAT, *Babylon magna* Apoc. XVI, 17. Quale illud: *Fuimus Troes*. Sic *fuit Adamus* instar unius &c.

§. VII. כאחד ממנו, *sicut unus ex nobis*, *ad instar unius nostrum*. Adamum ante lapsum revera extitisse *ad instar Dei* quis inficiabitur, cum innumeris id comprobetur rationibus. *α*) Conditurus hominem DEus pronunciabat: *Faciamus hominem* בצלמנו כדמותנו IN IMAGINE ET SIMILITUDINE NOSTRA, i. e. *secundum imaginem nostrum simillimam*. Imago Dei a Deo non discrepat. Nam *JEsus Christus*, *ὁ ὢν ἐπὶ πάντων Θεὸς εὐλογητὸς εἰς τοὺς αἰῶνας*, *qui est DEus super omnia in secula benedictus* Rom. IX, 5. Paulo scribitur *εἰκὼν τοῦ Θεοῦ* 2. Cor. IV, 4. *imago Dei*. Igitur qui est factus ad imaginem, factus est ad ipsius Dei similitudinem, & evadit *instar Dei*: ut phrases sint synonymæ כאחד ממנו, & כדמותנו. Utique enim SETH, quem בדמותו בצלמו *in similitudine & imagine*, i. e. *sui simillimum* genuerat Adamus, recte dicetur fuisse כאדם *instar Adami*: Non tamen ipse Adamus, uti nec Adamus ipse Deus (*μὴ γένοιτο*) quia similitudo identitatem (liceat ita loqui) excludit. *β*) Adamus videtur dici *υἱὸς τοῦ Θεοῦ*, *Dei filius*. In recensione Genealogiæ Servatoris nostri Luc. III, 23. 38. legitur: *ὢν (ὁ Ἰησοῦς) υἱὸς τοῦ Ἡλὶ, τοῦ Ματθὰτ----- τοῦ Ἐνὼς, τοῦ Σὴθ, τοῦ Ἀδὰμ, τοῦ Θεοῦ*. i. e. *Existebat JEsus filius Eli, filii Mattat, ——— Enosi, Sethi, Adami, Dei*. Patet ante omnia nomina subintelligendum *τοῦ υἱοῦ*, FILII *Enosi, filii Sethi, filii Adami, filii Dei*. Quanquam hic titulus *κατ᾽ ἐξοχὴν* S.S. Trinitatis Personæ secundæ competat, cum tamen pii & fideles filiorum Dei appel-

latione gaudeant, cur honorem hunc Adamo invideremus, jam puro, sancto, & integro e Dei manibus prodeunti? Nec Philo invidet, loco quem doct. Grotius in fine Luc. III. adducit: Τῷ δὲ πατὴρ μὲν θνητὸς οὐδεὶς, οὐδὲ ἀΐτιος, ἀλλὰ θεὸς, οὗ τρόπον τινὰ γενόμενος εἰκὼν &c. *Hujus Adami* PATER vel Autor *mortalis quidem nemo erat, sed Deus cujus modo quodam imago erat.* γ) Corruptus homo imaginem divinam amiserat, quæ regeneratis restituitur, qua de causa Petro 2. Epist. I, 4. audiunt, θείας κοινωνοὶ φύσεως, DIVINÆ NATVRÆ *participes.* Imo Joannes ait, 1. Epist. III, 9. *Fideles ex Deo progeneratos esse, & SEMEN inse continere* DIVINUM. Quid dici possit evidentius indicandæ similitudini piorum (in quibus amissa ab Adamo imago refecta) ac Dei, consequenter Adami & unius Personarum divinarum. δ) Non ignorabatur gentibus quæ intercedebat homini cum Deo cognatio, cujus animam *divinæ particulam auræ* vocitarant. Arati sententia Paulum non latebat: τοῦ γὰρ καὶ γένος ἐσμέν. *Illius enim genus sumus.* Act. XVII, 28. Quam tantum abest, ut improbet divus Apostolus, ut potius exinde haud infirmum contra superstitiosos Athenienses torqueat argumentum v. 29. Quod Ethnici ignorantes universo etiam depravato humano generi attribuebant, Adamo nos integro meliori jure vendicamus. ε) Tremellius hac in re nobiscum sentit: *Ecce*, inquiens, (not. Gen. III, 41.) *homo fuerat sicut unus e nobis, conditus ad imaginem nostram, bonumque & malum cognoscebat.* Alios non per quisivimus.

§. VIII. לָדַעַת. Vulg. *sciens*, cum non sit participium. LXX. τοῦ γινώσκειν, *cognoscendi.* At nos: DONEC

NEC *cognovit*; quæ infinitivi hujus non insolens est expositio: quandoquidem præfixa litera ל. in vicem עד, pro *donec, usque ad*, sæpius substituitur. Levit. XIV, 14. *Posuerunt blasphemum in custodiam* לפרש להם DONEC *ipsis explicaretur, quid cum eo faciendum ex ore Jehovæ.* 2. Sam. XIII, 2. *Angebatur Amnon amore sororis*, להתחלות DONEC *morbo corripiebatur.* Esaias exemplum suppeditat nostro perquam consonum Cap. VII, 15. *Butyrum & mel puer comedet*, לדעתו DONEC *ipse cognoverit malum rejicere* & eligere bonum. Neque enim mel & Butyrum efficit, ut inter pravum & secus pueri discernant. Daniel. IX, 24. *Septimanæ definitæ sunt septuaginta super populum, & urbem sanctam tuam* לכלא הפשע DONEC *consumatur defectio*, להתם חטאות DONEC *perficiantur peccata*, ולכפר עון DONEC *expietur iniquitas*, להביא צדק עולמים, DONEC *adducatur justitia æterna.* Congeriem exemplorum hic locus exhibet. Addamus unicum Daniel. XII, 11. *A tempore ablati jugis sacrificii* ולתת *&* VSQVE AD *ponere, dare*, DONEC *constituatur abominabile stupendum.* Quid vero testimonia testimoniis accumulamus, cum veritas a nostris stet partibus. Ironia ablata quem sensum fundent verba: *Ecce Adam factus est sicut unus ex nobis, sciens bonum & malum?* Adamusne per transgressionem, Dei factus erat similis? Quare itaque Paradiso excluditur? Utique ergo verum erit, Adamum ante lapsum fuisse Dei similem, ad fatale illud temporis momentum, quo comedens de arboris fructu vetitæ, cognovit bonum & malum. Tum enim amissa divina imagine τέκνον τοῦ διαβόλου erat, ex 1. Joh. I, 3.

§. IX. Antequam gressum ulterius promoveamus, attentius paulo phrasin דעת טוב ורע *cognoscere bonum ac malum* considerabimus, ut objectioni, quæ hic non sine specie nobis moveri posset, occurramus. *Cognoscere bonum ac malum* trifariam in sacra Scriptura sumi videtur. Primo pro *omnium rerum, quæ sub boni & mali notione* comprehenduntur, *scientia* universali. Sic Deo omniscio phrasis aptatur Gen. III., 4. *Eritis sicut Deus, cognoscentes bonum & malum*, i.e. omnia intellectu comprehendentes. Hunc genuinum verborum sensum esse clarissime patet ex 2. Sam. XIV, 20. ubi mulier Thecoitis Davidem alloquitur: *Dominus meus sapientiam habet ac Angelus Dei* לדעת את כל אשר בארץ *ad cognoscendum omnia quæ sunt in terra.* Secundo significat *discernere inter bonum & malum*, Deut. I, 39. *Parvuli vestri, de quibus dixistis, spolio erunt, & filii vestri,* אשר לא ידעו היום טוב ורע *qui hodie* NON COGNOSCUNT BONUM ET MALUM, *illi eo venient.* Id est, qui nondum *judicio discernere valent*, quid distent æra lupinis, & thesauri carbonibus. Synonymum loquendi modum Jesaias profert Cap. VII, 15. דעת מאוס ברע ובחור בטוב *scire reprobare malum & eligere bonum.* Tertio occurrit pro *scientia experimentali boni & mali.* De Adamo scribitur Gen. III, 6. ידע את אשתו *cognovit uxorem suam.* Apud Esai. XLVII, 8. Babylon erumpebat; לא ארע שכול *non cognoscam orbitatem, numquam experiar me orbam esse.* Evidentissime & simul apposite ad mentem nostram Eccles. VIII, 5. *observans præceptum,* לא ידע דבר רע NON COGNOSCET (non experietur) REM MALAM.

§. X.

§. X. Hisce ita, ut putamus, satis clare propositis in rationem nominis Arboris vetitæ inquiramus. Non dicta fuit arbor Scientiæ boni ac mali, quod *cognitionem omnium rerum usus* illius fructus conferre poterat, aut quod *insita* illi fuit *physica quædam virtus*, excitando ingenio humano, prudentiæque ac facultati inter pravum & justum discernendi exacuendæ, quæ Hebræorum quorundam erronea fuit opinio, ut aliis viris doctis demonstratum. Vel etiam quia *prudentiæ fuit causa moralis*, h. e. hominem tum docebat prudentiam, tum prudentiæ ejus exercendæ objectum erat, quam doctissimi Vitringæ sententiam ut amplectamur, a nobis impetrare non possumus. Ita enim mentem suam explicat Observ. sacr. p. 1066. *prudentia est* סור מרע RECEDERE A MALO. Job. XXVIII, 28. *Hanc ut homines discerent, sive potius circa hanc arborem exercerent, hanc ipsam arborem Deus in paradiso produxit. Ferebat enim fructum homini sive natura sive ex divino instituto noxium, qui ipsi causa esset mortis. Prudentiæ esset hominis sibi ab hoc fructu cavere. —— In appellatione ipsa nihil est παράδοξον. Potuit enim arbor recte prudentiæ vocari, quæ erat & ex instituto esset prudentiæ magistra, & illius tam causa Moralis, quam objectum. Sic Democritus dictus philosophia* &c. Verum, quod pace Viri, cujus doctrinam valde veneror, dictum sit, admodum paradoxa videtur mihi arboris denominatio, si ejus interpretatio locum habet. 1) Demus, arborem plantatam exercendæ Adami prudentiæ, num ideo titulum arboris prudentiæ merebatur? Eum meruisset, si ex ejus usu homo circumspectior evasisset? Sed arbori hanc cum

Vi-

Vitringa denegamus virtutem. Exemplo appellationis paradoxum ostendatur. *Reliquias gentium Cananæarum* servaverat in terra promissa Deus לנסות בם את ישראל, *ut iis tentaret Israelem*, i. e. *ut probaret* num in sui cultu perstituri essent, an pravo Ethnicorum exemplo se seduci paterentur Ex. XXIII, 28. Quod Adamo præstiterat *Arbor vetita*, idem Israelitis erant *Cananæi*. Scilicet exercitium *sanctæ prudentiæ*. Quis vero exinde *Cananæos* vocaret אנשי דעת טוב ורע *Viros cognitionis boni ac mali*, i. e. *prudentiæ*. Certe in sacra Scriptura nuspiam hoc nomine veniunt! Nec ut puto, qui eos sic nominaret, absurditatis notam effugeret. Manna suffecturus in deserto populo suo Deus sic loquitur Exod. XVI, 4. *Ecce depluam vobis panem de cœlo, quem colliget populus --- ut tentem eum*, הילך בתורתי אם לא *num in lege mea sit ambulaturus nec ne*. Quæ populo datione Mannæ, eadem Adamo conditio ostensa arbore vetita proponitur. Circa *Manna* gentem in deserto, circa *arborem* in paradiso Adamum Deus explorabat. Utrum vero eodem jure Manna לחם דעת טוב ורע *panis prudentiæ dicendus foret*? Alia, quæ possemus, non addimus. 2.) Arbor prohibita non tam *ad augendam* hominis *prudentiam*, quam *explorandam obedientiam* horto erat insita. Deus Adamum punivit, non quod contra prudentiæ leges peccaverat, sed quod debitam sibi reverentiam & obedientiam neglexerat: Deo cæcam debemus obedientiam. Quicquid Creator imperat sine mora, sine consilio exsequendum. Dixerat Deus: *nolo ut edas de arbore vetita. Obedientiam* poscit. Non *prudentiam*. Nec enim ait: Hanc arborem Adame, in medio posui horto,

to, ut prudentiam tuam exerceam, num ſcias bonum a pravo diſtinguere, fructum enim tibi fert ex meo interdicto noxium, & letiferum. Minime! Sed ſancit imperio: *Quo die comederis, morte morieris.* Sic Sauli injungebatur Amalekitarum extirpatio. Qua re animum Saulis obtemperantem explorare volebat. Saul ex avaritia parcit hominibus & beſtiis. Quid ad hæc Deus ore Prophetæ. Num, imprudenter egiſti, non adhibuiſti judicium. Nequaquam! Sed: *Cur voci Dei non auſcultaſti?* cur ſpreviſti mandatum? *Obedientia præſtat ſacrificiis*, & attentio arietibus opimis. Sic Adamo inobedientiam non imprudentiam Deus iratus objicit. 3.) Arbor interdicta ad hominis prudentiam nihil omnino conducebat. Non *cauſa* erat, non *objectum*, non *ſubjectum*. Prudentia verſatur circa actiones fugiendas & faciendas. *Arbor non erat actio* fugienda, ſed eſus illius fructuum. Itaque executio interdicti divini actus erat prudentis obedientiæ. Non fructus, non arbor. Quemadmodum *venenum*, quod pater filiis vitandum proponit, *cibus prudentiæ* dici non poteſt, ut ut actionis prudentiæ perpetrandæ occaſionem filiis ſuggerat, ita arbor vetita, quæ nihil minus quam prudentes reddebat, nulla ratione *arboris prudentiæ* eſt appellanda nomine. Supereſt ultima ratio nominis, qua exiſtimamus, *arborem* dictam *cognitionis boni & mali*, quia plantata erat *experiundæ* „*hominis obedientiæ*, num ſc. in bonitate ſua, in qua a „Deo conditus erat perſeveraret, an de ſtatu felicitatis „deſciſceret & ſic bono experto, ſed citius amiſſo mali cognitionem experimentalem nanciſceretur: quæ Theologorum vulgaris ſed optima eſt ſententia.

§. XI.

§. XI. Adamum plurima ignorasse etiam in statu innocentiæ, quis inficiabitur? Etenim a Deo non hominum doctissimus, non eruditione vastissima præditus, sed integerrimus, sanctitate fulgens intaminata, & eminentium virtutum haud exigua exornatus copia. Ipsum causa nominis, arbori vitæ inditi latebat. Ipsi ignorabatur ratio appellationis Arboris vetitæ. Hæc ignorantia ansam præbebat *Tentatori* hominem aggrediendi. Variam deprehendimus phrasios דעת טוב ורע *cognoscere bonum & malum* notionem. Complectitur enim & Dei omniscientiam, & prudentis ac multa cognoscentis hominis indicat attributum, & boni ac mali experientiam innuit. Diabolus invidus innocentiæ primorum hominum, & prosperæ conditionis, insidias struit. Accedit mulierem, & astutissime elicit, eam veræ etymologiæ arboris vetitæ ignaram esse. Ejus enim generis sermonem fingit, & proponit, ad quem mulier respondens necessario vel fateri scientiam suam debuit vel prodere ignorantiam. Monstrata digito planta fatali infit: *Aspice Eva, quæ arbor, qualis fructus, cape, ede.* Renuente muliere, quia intercedebat divinum interdictum. *Erras*, ait, *Mulier. Quam putas causam esse excellentis nominis cognitionis boni & mali, nisi quia arbor illa fructum continet, cujus manducatio, te similem Dei reddet, ut instar illius bona & mala*, i. e. *omnia cognoscas.* Hæret mulier ad hæc. Miratur etymi expositionem: & eo ipso fatetur se non novisse nominis rationem. Alias Diaboli fraudem statim sensisset. Regessisset cum indignatione: *Quid garris, Mendax! Arboris longe diversa est conditio. Satis bene nobis est. Malum quid*

sit

ſit nolumus experiri. Id denominatio illa innuit. At alienam Eva viam ingreditur. Diabolus pulchritudinem arboris prædicarat. Quod vero conſonum aſpectu proprio Uxor Adami deprehendit. Fructum laudaverat; nec id a ſpecie veri videbatur abludere. Speciosam nominis originem indicaverat. Ratiocinatur Eva: *Verum eſt prius, cur non & poſterius.* Et *vidit mulier, quod bona eſſet arbor ad cibum, & oculis perquam grata, ac deſiderabilis comparandæ ſapientiæ.* Itaque Satanas ψευδοδιδασκαλία Evam deluſit hiantem. Dialogus ejus callidiſſime compoſitus eſt. Verba ſingula fallaciam ſapiunt, & ambiguitate afficiuntur. Quapropter nemini peregrinum videatur, ſi diabolicam loquelam cum divina commiſcere nolumus. Poſſet primo intuitu v. 6. cum v. 22. conferri. *Eritis*, inquit Satanas, *inſtar Dei, ſcientes bonum & malum.* Et Deus: *Adam factus eſt*, ait, *ſicut unus ex nobis ſciens bonum & malum.* Quæ vulgati eſt verſio. At at diſcrepantes fines intendunt Deus ac Diabolus. Hic hominem decepturus, phraſi abutitur. Deus veritatis amans, ore ſanctiſſimo vera ſolum enunciat. Nolebat homini boni experto malum innoteſcere. Quod præſignificaverat nomine arbori prohibitæ adjuncto. Ab illa abſtinendo, felicitate perpetua fruiturus erat. Eam guſtando mali quoque notitia imbuebatur. Quocirca tandem, ut finiamus, Adamus revera extitit „*inſtar Dei*, Dei ad imaginem creatus, donec ven„trem venenato infauſtæ arboris fructu replens, bo„num ſe perdidiſſe, & malum acquiſiviſſe triſti expe„rientia cognovit.

§. XII. Celerius, quæ nobis reſtant, conficiemus.

ועתה

ועתה —— *& nunc, ne extendat manum suam, & quoque de arbore vitæ decerpat, comedatque & in æternum vivat* (dimittamus eum ex Paradiso.) Bifariam hæc vulgo intelliguntur. Nonnullis & hæc cum ironia prolata, scribitur: quasi *Deus joco hominem ab arbore vitæ pepulisset, ne videretur sibi sua stultæ persuasione ex esu hujus ligni in æternum victurus.* Alii existimant Deum *misericordia impulsum homini fructu arboris vitæ interdixisse, ne bujus virtute* sustentatus æternum vitam miseram & calamitosam continuaret. Neutrum nobis arridet. Nam quod ad posterius, fundamentum illius falsa nititur hypothesi, quasi Arbori vitæ ea insita fuisset virtus, ut æternam vitæ durationem ex sua natura conciliare potuisset. Id quod fortissime negamus. Nam principio nominis significatio eam vim non includit: non magis quippe vitam perpetuam producebat, quam scientiam boni & mali, Arbor quæ hac appellatione venit. Deinde longe aliam ob rationem id nominis obtinuit. Si consideramus loca *Ezech. XLVII, 12.* & *Apoc. XXII, 2.* eaque invicem collata perpendimus, deprehendemus, eam ob causam proprie *arborem vitæ* vocatam esse quod non ut aliæ arbores vita privatur, sed quod ejus folia semper virentia, & novis rami fructibus singulis mensibus onusti conspiciuntur. Ezechiel enim scribit ad utramque fluminis e templo prodeuntis ripam *arbores* constitisse, quarum folia non marcuerint & fructus nunquam defecerint. Easdem arbores *Joannes* vidit ad marginem fluvii emanantis sub throno Dei, easdemque vocat ξύλον ζωῆς, i. e. עץ חיים, sc. *arvorem* non vivificam sed *arbo-*

borem vivam. Quæ ſane expoſitio nec ab aliis ejusdem generis loquendi formulis abludit. *Aqua viva* vocatur מים חיים, *ὕδωρ ζῶν Joan. IV, 11.* & fons perpetuo ebulliens מקור חיים *fons vitæ*, i. e. vivam ſufficiens aquam, *Pſ. XXXVI*, 10. Anima nominatur נשמת חיים *anima vitæ*, non quod vitam ſuppeditat, ſed quod perpetuo vivit. Rem extra omnem dubitationem ponit *Proverb. XI, 30.* ubi ſcribitur פרי צריק עץ יסח *fructus juſti arbor eſt ſempiternum florens.* Hoc ſcil. dictum *Pſ. I.* exponitur : *juſtus eſt inſtar arboris ad rivulos aquarum plantata, quæ tempore ſuo fructus reddit, & cujus folia non marceſcunt.* Non tamen rejicimus & hanc nominis rationem, quod fructus arboris cibo & folia medicinæ inſerviverint: verum eam volimus eſſe quaſi ſubordinatam non primariam. Jam talis arbor, quæ ſua natura perpetua pulcritudine vigebat, aptiſſime æternam hominis vitam adumbrabat, atque ideo a Deo t. o. m. Adamo in *Symbolum* exhibebatur immortalitatis. Si nempe in integritate ſua perſtitiſſet, atque de arboris illius comediſſet fructibus, eum non minus ſempiterna ætate gaviſurum, ac arbor illa perpetuo florens, & folia nunquam dejiciens. Tertio abſurdum videtur, Arbori vitæ virtutem conſervatricem attribuere. Nam ſi homo innocentiam cuſtodiiſſet, alimento vivifico non eguiſſet, ut cui vita præter id etiam fuiſſet conceſſa. Lapſo autem homini fructum vitalem comedere non licuit. Deus homini peccaturo mortem comminabatur. Demus jam ante lapſum hominem de arbore vitæ comediſſe. Vel itaque, ſi vis æterna arbori inerat, ſtatuendum, hominem deinceps nunquam peccaturum:

B vel

vel si unquam peccasset, minas Dei effectu carituras. Quicquid enim Deus minatus fuerat de morte, nihilominus Homo vitam conservasset, vi & potentia cibi, quem manducaverat. Similiter demus, hominem forte fortuna post lapsum de fructu illius arboris comedisse. Num ille Creatore suo potentior irritam reddidisset comminationem divinam, & edictum mortis, in hominem prolatum? Absit, ut hæc in animum nostrum credenda inducamus, & creaturæ vim infringendi voluntatem Dei attribuamus: quare apparet inanem & supervacaneum esse metum existimantium, Deum hominem ab arbore vitæ removisse, ne æternum miser vitam traheret. Quomodo hanc suam opinionem conciliabunt cum verbis: *Quo die de arbore scientiæ comederis, utique morieris, i. e. ad pulverem redibis unde desumtus es.*

§. XIII. Qui *Ironiæ* insistunt, nobiscum in eo consentiunt, in arbore ipsa virtutem perpetuandi vitam resedisse nullam: adeoque verba Dei, *& comedat & vivat in æternum* ironicæ locutioni favere videntur, i. e. nihil minus aget comedendo de arbore vitæ, quam ut æternum vivat. Verum enim vero, cum heic eædem sint rationes, quæ nos impulerunt, ut ab antecedentibus verbis ironiam removerimus, eandem nec hoc commate inveniri posse putamus. Deus non joco sed serio agit, ideo seria quæramus. Certissimum existimo, homini non patuisse aperte rationem appellationis arboris vitæ, eodem modo, uti ostendimus, eum nec scivisse originem & causam arboris scientiæ. Jam vero ex verbis Dei: פן ישלח *ne forte emittat manum*, elucet, hominis mentem subiisse e-

am

am cogitationem, num forte lapſum ſuum poſſet reparare cibo de arbore vitæ ſumto; Nam uti prior fructus mortem ſecum tulerat, ita alter vitam videbatur promittere. His cogitationibus dum mentem paſcebat, interceſſit Deus, quia nec arbor vitam dare poterat, nec hic modus erat jacturam reparandi: ſed longe alius, *beneficio Meſſiæ*, promiſſi ſeminis, & fide in eum, & pœnitentia. Ideo Deus ex Paradiſo Adamum expellit. Deus enim, qui intimas cordis meditationes perſcrutatur, & Adami voluntatem, antequam effecta daretur cognoverat, ſuo ſermone innuit, quid Adam cogitaverat. Quod ſi enim Adam non cogitaſſet de arbore vitæ unquam manducare, expulſionem Deus ex Paradiſo haud præcipitaſſet. Quapropter ſpreto nonnullorum additamento: *cavendum, vel proſpiciendum nobis, ne homo edat de arbore*: quod Dei potentiæ minus congruit, ſubſtituimus in parentheſi verba: *Ne edat* (DIMITTAMUS EUM) *& dimiſit Jehova hominem.* Sacro Codici hic non inſolens eſt ſcribendi modus, ut ex ſermone vel actione conſequenti antecedens dictum, factum, cogitatum eluceat. *Gen. XXI, 16. 17.* narratur, Hagarem cum filio ab Abrahamo ejectam, deficiente potu in deſerto puerum ſub arbore reliquiſſe, & flentem receſſiſſe, ne morientem contemplaretur puerum. Scribitur itaque v. 16. *Et extulit vocem ſuam & flevit.* At ſequitur v. 17. *Et audivit Deus pueri vocem.* Puer ergo etiam flevit, ut ut non memoretur. *Exod. XIV, 15.* Moſem populum timore perculſum conſolantem Deus alloquitur: מה תצעק אלי *quare ad me clamas.* Cum

tamen nihil de Mosis clamore, multum vero de populi murmuribus referatur.

§. XIV. Objicienti denique, cur Deus Adamum prohibuisset arbore vitæ, siquidem ex illa nihil ad ipsum commodi redundasset, respondemus: Deum noluisse Adamum spe sua frustrari. Diabolus eum *nomine arboris scientiæ* fefellerat: ne se ipsum *nomine* quoque *arboris vitæ* deciperet, Deus vetuit. Nam quoniam hæc Arbor vitæ Symbolum erat immortalitatis, in statu lapsus homini non integrum erat hujus Symboli participem fieri, quia immortalis esse non poterat.

CAP. II.

JNQUIRITUR IN ORIGINEM NOMINIS ΑΙΓΥΠΤΟΣ, ET RECENSITIS DOCTORUM VIRORUM AC EXAMINATIS DERIVATIONIBUS, EAM EX LINGUA SANCTA ERUI ET POSSE ET DEBERE OSTENDITUR.

ARGUMENTUM.

In Ægypti Etymo multum laboratum. §. I. Diodorus Sic. aliique a Rege *Ægypto* deducunt. §. II. Num Rex nomine *Nilus.* §. III. Grammatici arcessunt ex αἴθω &c. §. IV. Berkelius ex αἶα & κόπτος *terra Copti.* §. V. Multi ex Αἰγυπ & Αἰγύπτειος *vulturino colore præditus* §. VI. Vitringa ex αἶξ κοπτοῦ *fluvio Copti* §. VII. Quibus rejectis originationibus docetur ex S. Scriptura derivationem petendam §. VIII. & quidem ex אי כפתור, *Ai-Caphtor.* Origo Caphtoræorum & Philistæorum. §. IX. Insula Caphtor inferioris Ægypti pars. Bochartus notatur. §. X. Nativitas nominis Ægypti ex Ai Caphtor. §. IX.

§. I.

§. I.

Cum Viri doctissimi in originem nominis Αἴγυπτος, quo regnum orbis antiquitate pariter & nobilitate nulli secundum a scriptoribus exoticis indicatur, magno eruditionis apparatu inquisiverint: visum est & nobis nostram huc conferre Symbolam; non quod nos illorum scientiam aut æquare, multo minus superare contendamus, sed quod nonnulla contra. hactenus allatas derivationes posse objici nec sine specie existimemus. Et quanquam nostri instituti non sit aliorum labores exscribere, ut tamen quid hactenus præstitum sit, quodque robur nostræ opinionis appareat, brevissimis verbis varia nominis Etyma proponemus, eorundemque vitia indicabimus.

§. II. *Diodorus Siculus*, *Apollodorus*, *Stephanus*, aliique ex Veteribus scribunt ab rege quodam ÆGYPTO, ἐπ' ἀρετῇ θαυμασθέντι *ob virtutem celebratissimo*, regnum appellationem accepisse. Verum deploratæ signum putamus sententiæ, ubi a nomine proprio ad proprium recursus sit. Non solum enim iterum quæritur, unde rex Ægyptus sic dictus sit: verum etiam cum illius Regis gesta caligine laborent ingenti, nonnulla præterea aperte fabulam sapiant, ut ex. gr. *relatio de 50. ejus filiis*, nemo nisi coacte in hanc opinionem secedit. Insuper illius Regis nativitas tanta varietate traditur, ut quid cum veritate consentiat, inventu omnino sit difficile. *Apollodori* traditio est, Neptunum ex Libya Epaphi filia, prisco orti ab Inacho genuisse Belum, ex Belo

proveniſſe Ægyptum & Danaum. *Diodorus* refert, Ægyptum fuiſſe Nili filium, quem ex regis Uchorei filia ſusceperit. At Apollodoro ex adverſo traditur, Belum ex Anchione Nili filia procreaſſe Ægyptum: Quæ omnia vel plurima ſaltem Græcorum cerebro debemus, quod arguunt nomina Græca & fluviorum liberi.

§. III. Alii proferunt Ægypti nomen principio non Regis ſed Nili fuiſſe fluminis. Id quoniam ad veræ etymologiæ ortum aliquid conferet paucis exponendum. Homerus Odyss. 14. fluvium diſerte ita nominat, de Menelao canens:

Στῆσε δ' ἐν Αἰγύπτῳ ποταμῷ νῆας.
Naves vero in Ægypto flumine ſtitit.

Inde Heſychius: Ἄιγυπτος, ὁ Νεῖλος ποταμὸς ἀφ' οὗ καὶ ἡ χώρα ἀπὸ τῶν νεωτέρων Ἄιγυπτος ἐκλήθη. *Ægyptus Nilus eſt fluvius: a quo ipſa regio recentioribus appellatur Ægyptus* Quem ſequemur, Homerumne vel Diodorum, an neutrum: aut potius credamus Ægypti æque fluvio nomen ac Regi impoſitum? At Diodoro porro ſcribitur: *In Ægypto regnaſſe regem quendam Nilum nomine, a quo fluvius nominatus ſit Nilus.* Ejusdem regis meminit Syncellus, & Scholiaſtes Apollonii. Idemne fluvius a Nilo rege Nili, & ab Ægypto Ægypti ſortitus eſt denominationem? Quamobrem Nili vocabulum invidit flumini RexÆgyptus, cum moris non ſit,ut quæ urbibus a ſe conditis indunt reges nomina, iisdem etiam alveos honorent? Certe eousque ambitio Imperantes noſtro tempore non pertulit: Num antiquiori, merito dubitamus, quia res exemplo caret. Abſurdum

dum vero omnino videtur regem Ægypti extitisse *Nili* appellatione, quia *Nilus* ab Hebr. נחל Naal, & Chald. Neel fluvium denotat: Rex vero fluvius nominari nequit. Idem de *Ægypto* nondum pronunciare audemus, donec demonstratum erit, num illa denominatio flumini aptius an Regi conveniat.

§. IV. Grammaticis Græcis deducitur Ἄιγυπτος ab Ἄιθω *uro*, ob solis calorem, quo illa regio infestatur. Sed nihil hic sani deprehendimus, quoniam ex sola syllaba ἄι, qua ἄιθω cum Ἄιγυπτος convenit, nulla cognatio horum nominum elicitur: alias Ægyptus ab omnibus vocabulis ab αι incipientibus formari posset. Melioris commatis non est illa altera ab ἄιγας & πιαίνειν capras pingues reddere, quæ in ascensum neminem pertrahet.

§. V. Berkelius in notis ad Stephanum, Ægypti nomen formatum vult ex ἆι pro ἄια, & γύπτος, pro κύπτος, seu κόπτος, ut sit ἄια τῶν κόπτων *terra Coptitarum*. Multa contra hanc derivationem viri docti Perizonius & Vitringa exceperunt. α) Coptus, urbs Ægypti superioris, Græcis antiquis temporibus ignorabatur. Nam ante Strabonem nemo illius meminit; & Diod. Sic. docet nullos Græcorum ad Ptolemæi Philadelphi tempora eousque penetrasse. β) Græci solebant regiones exteras ab urbibus in aditu regionis sitis denominare. Coptus vero in interioribus Ægypti reperitur. γ) Inferior tantum Regni pars olim Græcis Ægypti nomine venit: superiori indebatur appellatio *Æthiopiæ*, in qua tamen Coptus. δ) Ex hypothesi Vitringæ, quam mox producemus, qui pro fluminis nomine habet vo-

cem Ἄιγυπτος, Sententia Berkeliana ex se concidit.

§. VI. Eruditorum plurimis placuit Ægypti nomen a *nigredine* deducere. Illam enim omnia habere nigra, incolas, terram, aquam, deprehenderunt. De hominibus Ammianus: *Homines autem Ægyptii plerique subfusculi sunt & atrati.* Unde apud Apollodorum Ægyptios olim legimus Μελάμποδας nuncupatos. Et Zenobius diserte: Ἄιγυπτος τῆς τῶν μελαμπόδων ἐκράτει γῆς, ἥτις νῦν Ἄιγυπτος καλεῖται, *Ægyptus rex regionem Melampodum occupavit, quæ nunc Ægyptus vocatur.* Terram Stephanus μελάμβωλον *nigras glebas habentem*, Plutarchus μελάγγειον *atrati soli* vocat. Fluvius a nigredine *Sichor* nonnullis dicitur; uti Æthiopibus Siris, sc. a שחר *nigrum esse.* Unde μέλας antea fuit appellatus juxta Eustathium, & latinis *Melo*, autoribus Servio & Festo. Jam vero Ἄιγυψ & Αἰγυπιὸς Græcis notat *vulturem*, fusci coloris avem. *Inde ergo descendit*, (sunt Perizonii verba) *interposita litera T.* Ἄιγυπτος *&* Ἀιγύπτιος, *de Rege & Fluvio & populo terræ, quia fusci & subnigri erant coloris æque ac vultures.* Quo minus vero de hac re dubitetur observat, Græcos in glossis *Ægyptium* exponere *nigrum*, & αἰγυπτιάσαι Eustathium interpretari *adurere*, αἰγυπτιῶσαι vero Hesychium *denigrare*, *atrum reddere.* Verum & hanc opinionem nonnulla impugnant. 1) Ex Ἄιγυψ & Ἀιγυπιὸς facile formatur Ἀιγύπτιος imo Ἀιγύπτιος, difficulter vero Ἄιγυπτος, cujus ratio nulla dari potest. 2) Cum vocabulum Ἄιγυψ ejusmodi sit, quod

quod raro adhiberi ſoleat, nec vulgaris uſus, mirum omnino videtur, cur Græci qualitatem regionis notiſſimam voce adeo obſcura & inuſitata voluerint exprimere. 3) Quoniam Ἄιγυπτος non eſt adjectivum, & tamen habitum exprimit, nec hominibus convenit, dicendis Ἀιγυπτίοις, nec fluvio, nec terræ appellandis Ἀιγύπτειος vel Ἀιγύπτιος.

§. VII. Cel. Vitringa, cui antecedens originatio haud arridet, componit ex vocibus αἶξ, priſcis *fluvius*, & nomine urbis κοπτὸς, ut ſit q. *fluvius Copti*; exiſtimat enim Nilum proprie Ἄιγυπτον, non regionem, vocatum. At vir doctiſſimus non ſatisfacit objectionibus quibus §. V. Berkelii conjecturam oppugnavimus. Nam teſtimonia, quibus celebritatem urbis Copti adſtruit, ex Strabone & Plinio, nimis recentia ſunt, quam ut probare poſſint, Copti jam ante Homerum eam fuiſſe famam, ut Græci inde Nilum, fluvium Copti dixerint. Quare aliis nihilo ſolidior hæc eſt etymologia, imprimis cum Ἀἶξ vix ac ne vix quidem pro flumine uſurpetur: & admodum dura ſit compoſitio Ἀἶξ κοπτὸς vel Ἀἶξ κοπτȣ.

§. VIII. Tantum eſt a Viris doctis in voce Ἄιγυπτος ejusque nativitate oſtenſum: quod cum exactius penſitaremus, duo animum noſtrum ſubierunt cogitata, heic nequaquam prætermittenda, cum nobis clavem ſolutionis in manus quaſi tradere videantur. Principio, quia ab Homero Ἀιγύπτȣ nomen jam legimus uſurpatum, indeque appareat antiquis temporibus illud extitiſſe: in ſacra vero Scriptura Ægypti frequentiſſima ſit mentio, non temere quis percontaretur, num linguæ antiquiſſimæ & ſacræ

 Scri-

Scripturæ beneficio nominis illius ortum referare nequeamus. Deinde quia nemo scripsit a Græcis Ægyptum denominatum, non in Græcia, sed extra eam, & quidem in ipsa Ægypto in illius nomen jure optimo videtur indagandum.

§. IX. Hanc methodi rationem postquam nobis proposuimus, regionis cujusdam appellatio occurrit, proxime ad Ægyptum accedens, videlicet אי כפתור, AI CAPHTOR cujus meminit Jerem. XLVII, 4. de convenientia vero horum nominum frustra differemus, nisi prius evicerimus, quæ regio, & ubi terrarum reperienda sit *Ai Caphtor.* Moses Gen. X, 14. docet, Mizrajimum genuisse Pathrusim, & Casluchim (ex quibus provenerint Philistæi,) & *Caphtorim.* Idem divinus scriptor ait Deut. II, 23. *Avvæos habitasse circa Gazam, sed a* CAPHTORIM, egressis e CAPHTOR esse profligatos. Jerem. XLVII, 4. Philistæos vocat שארית אי כפתור *Residuum Ai Caphtor.* Denique Amos IX, 7. Deus ipse affirmat, *se Philistæos ex* CAPHTOR *eodem modo eduxisse, ut Israelitas ex Ægypto.* Videamus num ex hisce locis aliquid eliciendum, quod in commodum nostrum vertamus. Primo discimus, Casluchæos, *Caphtoræos*, & Philistæos valde fuisse vicinos, & nonnihil inter se permixtos, quia Philistæi Casluchæis Originem debent, & deinde ex Capthoræis educti sunt. Discimus præterea hosce populos circa Ægyptum quærendos, quia eos Mizraim pater Ægypti genuit. Nam uti reliqui illius posteri, Patrusim, Lehabim, Nephtuchim, Anamim &c. vel in, vel juxta Ægyptum sedes suas statuerunt: idem de Caslu-

luchæis &c. putandum. Jam vero in Ægypto, vel proxime circa eam nullam offendimus urbem, quæ magis cum Philiſtæorum nomine conveniat quam *Peluſium*, Hebr. פלשת, quæ certiſſimo argumento eſt, heic primitus habitaſſe Philiſtæos. Ne tamen ſtatim quis nos hic interrumpat, objiciendo, Peluſium a Græcis ſic dictum a πηλὸς *lutum* quod Hebræis טין, quia in locis paludoſis urbs illa ſita eſt: in transcurſu monendum cenſeo, me iſtam nominis rationem non ſpernere, nec tamen ad Græcam linguam confugere, quia Hebr. פלשת æque ſignificat lutum ac Græcis πηλὸς, uti patet ex vocibus radicis פלש ſuperſtitibus. Tertio ex Jeremia obſervamus, Philiſtæos in *Caphtor* habitaſſe, quia vocantur reliquiæ Ai Caphtor. Ergo neceſſario concludimus, Caphtor non procul abſuiſſe Peluſio. Ex Caphtor vero juxta Amoſum Philiſtæi egreſſi ſunt, occaſione & modo nobis incognito, ad formam tamen Exodi Iſraelitarum ex Ægypto: i. e. ab aliis vel oppreſſi vel expulſi, ſe in libertatem aſſeruerunt, & uti Iſraelitæ per mare rubrum & deſerta Arabiæ terram ſanctam petiverunt: ita Philiſtæi ad littora maris mediterranei profecti Avvæorum regionem occuparunt & poſſederunt.

§. X. Tantum nos docuerunt ſacra Oracula. Nunc tentemus de loco Ai Caphtor. אי *Ai* vocula proprie *Inſulam* non provinciam denotat, uti exemplis fere omnibus in ſacro codice obvenientibus comprobatur. Habemus ergo *Inſulam* Caphtor, non provinciam. Nilus ſub Memphi in multa brachia diviſus, inferiorem Ægypti partem, a figura Δελτα nun-

nuncupatam, in varias insulas & regiones secernebat. Harum una, & quidem Pelusio proxima, quin sit insula Caphtor nulli dubitamus. Nam uti inferior Ægyptus a figura nomen *Deltæ*, & *Athribis* i. e. Pyræ, quemadmodum ostendit magnus Bochartus, accepit, ita quædam regio etiam a forma mali *Punici*, Hebr. *Caphtor* appellationem desumere potuit. Præterea Arabs & Autor libri Juchasin pro Caphtoræis substituunt Damiatam, urbem celebrem Pelusio proximam in Insula a brachiis Nili determinata. Quod vero non possimus plura argumenta congerere, causæ, quam defendimus, nihil obest, sola probabilitate firmissimum hic suppeditante, quæ ut eo magis ob oculos ponatur, paucis eruditissimi Bocharti sententiam examinabimus. Ille *Caphtoræos* pro *Cappadocibus* habet, sequentibus fretus rationibus: 1) Caphtoræos Casluchæis fuisse vicinos, Casluchæos vero Colchidem inhabitasse. 2) Veteres plurimos per Caphtoræos intellexisse Cappadoces. 3) In Cappadocia extitisse urbem Σίδην, quod nomen idem significet ac כפתור, nempe malum Punicum. Sed Casluchæos in Colchidem profectos esse, paradoxum est adeo, ut ipse Bochartus hæreat: *Multa potuerunt esse causæ tam longinquæ peregrinationis, quos divinare nostrum non est. Aurum tamen illius regionis a Strabone laudatur. Atque id ipsum Phrixum impulit, & Jasonem, & Sesostrim* &c. *Itaque cum fama de hoc aliquid Ægyptii inaudivissent, verisimile est Casluchæos hac illecebra pellectos eo colonias deduxisse.* Quis id in animum sibi credendum induceret? Colchis nimis remota est ab Ægy-

Ægypto, quam ut antiquiſſimo tempore innoteſcere illius incolis potuiſſet: nondum erant regiones in Chartis deſcriptæ: nec primi homines, quorum opes pecoribus conſtabant, tantum auro inhiarunt, ut eam ſolam ob rationem patriam relinquerent. Hæc augent Paradoxum. Veterum ſententiæ, niſi veritate nitantur nihil juvant. Veteres Joctanis filios in India, & Cuschum in Æthiopia quæſivere; utrumque falſiſſimum eſſe, doctrina & opera Bocharti docemur. Ultimum denique ex vocabulo *Side* deſumtum fundamentum nullius eſt ponderis, niſi alia accedunt.

§. XI. Quia Inſula Caphtor littoribus Ægypti adjacebat, ab exteris & navigantibus nomen quod dabatur primo imis regionis illius partibus procedente tempore univerſo regno contributum, & ex Ai Caphtor in Ἄιγυπτος corruptum eſt. Tranſit quippe Hebr. אי in Græc. Ἄι. ſic pro אילת Ailath ſcribunt Ἄιλανα, ab אי *inſula* eſt *αἶα*, tellus, quia inſula eſt Oceano circumquaque cincta, & vernaculum Eiland. 2) כ Caph & γ, literæ ejusdem organi facile inter ſe permutantur. Ex כנע, Cana, incurvavit fit Græc. γόνυ, *genu*, ex כובס Cobhes, *Fullo*, Græc. Γναφεὺς, uti ex κυβερνάω, *guberno*, Ζάκανθα, Saguntus, ex לקט lakad, *lego*, nam Coph & Caph ſono fere coincidunt. 3) ר & ς vicem ſibi mutuo præſtant, in Gades, quod eſt a גדרה, Γάδειρα, in ἴπτορ & ἴπτος, μάρτυρ & μάρτυς. Sic fluit derivatio ex Ai-Caphtor, in Ἄιγαφθορ, Ἄιγαφθος, Ἄιγαπτος, Ἄιγυπτος. Cum hac noſtra diſſertatiuncula conferantur, quæ habet Vir doct. Abel in hi-

Historia Monar. Antiq. & ea quæ in præfatione monuimus.

CAP. III.

QUANAM DE CAUSA DEUS ADAMO ANIMANTIA ADDUXERIT, DISQUIRITUR; UTRUM SC. IMPONENDIS NOMINIBUS, AN SELIGENDÆ CONJUGI? QUOD POSTREMUM MULTIS RATIONIBUS ASSERITUR.

ARGUMENTUM.

Textus sacri Gen. II, 19. Tremelliana, ac Drusiana versio, cum vulgari expositione ob oculos ponitur. §. I. Causam adductorum Adamo animantium non fuisse *nominum impositionem* ostenditur. §. II. Sed Conjugis electionem. Nova textus interpretatio. §. III. Argumentis quinque nostra sententia evincitur §. IV. V. VI. Versionis nostræ veritas per partes adstruitur, ויצר, & *formaverat* §. VII. VIII. מה, i. e. *quo nomine.* קרא, *citare*, advocare. לו, *sibi*, ad se. §. IX. כל, elliptice pro כל שם, omne nomen. §. X. אשר יקרא לו, i. e. *quo sibi accersivit* §. XI. ויקרא האדם & *citavit* Adam nominibus. §. XII. ולאדם, i. e. & *sibi*, non, & *Adamo*. Connexio verborum postremorum cum antecedentibus validum argumentum suppeditat. §. XIII.

§. I.

Adamo vix manibus Conditoris elapso pleraque animantium sistebantur genera, quod refert Moses Gen. II, 19. verbis non adeo claris, ut nihil scrupuli relinquant lectoribus. Quanquam enim

nim finem actionis, quem sapientissimus Deus intenderat, divinus Historicus ipse aperiat, fatendum tamen validam interpretum manum eum non assecutam. Quapropter operæ pretium nos facturos existimavimus, si paulo accuratius, quam quidem hactenus factum, scopum hujus negotii perscrutemur. At verba ipsa oculis subjiciamus: וַיִּצֶר --- ויבא אל האדם לראות מה יקרא לו: ולאדם לו מצא עזר כנגדו: Tremellius vertit: *Nam quum formavisset Jehovah Deus e terra omnes bestias agri omnesque volucres cœli, & adduxisset ad Adamum, ut videret, qui vocaret singulas (etenim quocunque nomine vocavit illas Adam,* animantem quamque, *id nomen ejus est.) Vocavissetque Adam nominibus pecudem quamlibet, & volucrem cœli, omnemque bestiam agri: non aderat Adamo auxilium commodum.* Drusius: *Finxerat autem Dominus Deus e terra omnes bestias agri, & omnes aves cœli, adduxeratque eas ad hominem, ut videret, quod nomen imponeret cuique, & omne nomen quod imposuit homo animæ viventi, id est nomen ejus. Et imposuerat homo nomina omnibus jumentis, & avibus cœli & omnibus bestiis agri: homini vero non invenit auxilium, quod ex adverso responderet ei.* Sensum his verbis communiter hunc attribuunt, „Deum tradidisse homini imperium „in animantia, & misisse eum in possessionem illo„rum, ac propterea stitisse illa coram homine, ut „sisti solent Subditi novo Principi inaugurando, & ac„cipiendis mandatis ejus: hinc Deum voluisse ex„perimentum capere, quibus nominibus Adam sin„gulas animantium formas appellaret pro imperio suo

ſuo, & Conditione ipſarum, ſi quid eis in poſterum foret mandato opus; Addunt alii, Deum hoc feciſſe, ut Adamum recrearet, vel ut ſcientiam ejus exploraret, & quæ ſunt furfuris hujusmodi alia. Omnes tamen in eo conveniunt, ſcopum primarium adductorum animalium fuiſſe, *ut homo iis* NOMINA imponeret.

§. II. Nos vero, tantum abeſt, ut pro vero hunc ſcopo agnoſcamus, ut potius eum non ſolum a verbis ſacræ Scripturæ abludere, ſed etiam nimis exilem eſſe ac tenuem, quam ut eum ſibi Deus t. o. m. in principio rerum propoſuiſſet, judicemus. Nam Deus ſubjecerat Homini animalia, non ut ejus mandata perferrent, (quaſi intellectu pollerent) ſed ut ea quemcunque in uſum verteret. Multo minus nominum impoſitio aliquid poterat momenti imperio Adami adjicere; quia nec regibus in more poſitum, ſubjectis ſibi hominibus nova indere nomina augendæ vel autoritati vel potentiæ. Deinde Deus etiam piſces homini ſubdiderat Gen. I, 26. Cur non & piſces in conſpectum venire juſſit, ut Adami dominatum agnoſcerent, an piſces laxiori obedientiæ vinculo, quam aliæ beſtiæ tenebantur? Eos tamen dominatui primos addictos apertis verbis docemur: *Dominentur piſcibus maris*, tum *volucribus cœli*, denique *feris beſtiis & jumentis*, Ergo ſi imperio agnoſcendo aderant omnia animalia, principes præcedere debuiſſent piſces, cætera ſequi. De aquatilibus vero nihil legimus, de terreſtribus legimus. Alius igitur finis præſentium beſtiarum ſit neceſſe eſt, ubi piſcium opera non requirebatur. Præterea nec fe-

fe-

ræ nomina intelligebant, aut iis delectabantur, ut eo respectu blandiores se Adamo exhibuissent.

§. III. Itaque statuimus, hunc Deo primarium in sistendis homini animantibus extitisse scopum, ut primo in Adamo cœlibe ostensis brutorum paribus sociæ desiderium excitaret, deinceps occasionem suggereret varias creaturarum perlustrandi species, num inter illas sui similem aptamve, quam conjugis in locum adsciscceret, inveniret? Præsentatis igitur coram Protoplastæ tribunali animantibus, ejusque aspectui expositis, necessarium erat consequens, ut animalia certis nominibus compellaret, ad se vocaret, & contemplaretur, secernendæ sibi ex illis & associandæ vitæ & victus Consorti. Jam ea ipsa nomina, quibus tum temporis compellavit animalia Adamus, ipsis in posterum mansere propria. Hac de causa verba Mosis sic Latio reddimus: *Formaverat vero Jehovah Deus e terra omnem bestiam agrestem, & volucrem in cœlo volantem; Ea tum adduxit ad Adamum, ut videret, quo nomine advocaret* (ea) *sibi* (vel ad se.) *Et omne* (nomen) *quo advocavit* (accersivit) *sibi* (ad se) *Adam animam viventem* (animalia) *illud nomen ejus* (est, futurum erat, mansit.) *Et vocavit seu compellavit Adam nominibus omnia jumenta, volucres, & bestias* (eaque contemplatus est:) *Sed sibi auxilium* (quod sibi esset adæquatum) *non invenit.*

§. IV. Binis jam adstringimur laboribus. Primo ostendendum, hunc revera Deum adducendis animalibus scopum intendisse, ut exploraret, num ex istis sibi sociam homo seligeret, eamque non inveni-

endo, ſociam ſibi valde neceſſariam agnoſceret. Deinde noſtræ verſionis veritas ex ipſæ linguæ Hebraicæ & Grammaticæ analogia adſtruenda. Iſtud ſequentibus argumentis iisque haud invalidis comprobatum iri ſperamus. 1) Verſiculo 18. noſtra verba proxime antecedenti dixerat Deus: *Non bonum eſt hominem eſſe ſolum, faciam ei auxilium.* Dictum, factum. Verbum eo momento exſecutio excipit, nam ſtatim legimus, ad hominem adductas varias animalium ſpecies. Quam quæſumus ob rationem? ob eam fortean ut nominibus illa inſigniret? At quæ connexio? an nominum impoſitio contribuebat aliquid ut homo ſociam adipiſceretur? Dicendum foret, noſtra verba antecedentibus non cohærere. Id vero alienum exiſtimo. Si non cohærent, cur Moſes non alio loco hanc actionem narravit? Quare non conjunxit, quæ neceſſario erant jungenda? Quod ſi vero firmis connectuntur vinculis, uti nobis perſuaſiſſimum, affirmandum, aliam ob cauſam homini oſtenſa eſſe animalia, quam ſolius nominationis gratia, nempe ut in iis quæreret עזר כנגדו *auxilium ſibi adæquatum*, quod non offendens, viſis animalium paribus, eo majori deſiderio verſus conjugem ferretur. Ne aliquando diceret, ſibi ſoli fuiſſe melius &c.

§. V. 2) Poſt actum, ſc. animantium contemplationem ſcribitur, ולאדם לא מצא עזר כנגדו, i. e. *Sibi vero homo Sociam non reperit.* Nonne hic ſcopus luce clarius meridiana detegitur. Num ex *nominum datione* apparere poterat, homini non repertum iri ſociam. Non exiſtimem. At vero ex conſide-

ſideratione, quæ attento fiebat animo. Et vellem, ut qui mera nomina hic piſcantur, mihi monſtrent, quæ ſit inter hæc verba conſequentia: *Vocaviſſet Adam omne animal: non aderat Adamo auxilium commodum*, ut Tremellius habet. Vel ut Druſius: *Et impoſuerat homo nomina animalibus: homini* (ſibi) *vero non invenit auxilium.* Nihil hic video, niſi Cimmerias tenebras. Quod ſi vero dicamus, Adamum ad ſe vocaſſe animalia, iisque conſideratis, inter ea quæſiviſſe ſibi auxilium, nec reperiſſe: quid tandem melius ad commodum & planum ſenſum requiri poſſit, non video?

§. VI. 3) Poſtquam formatam ex coſta mulierem Deus adduxiſſet Adamo, exclamat, זאת הפעם, *hac hac vice* i. e. nunc tandem aliquando eſt os ex oſſibus meis, hæc vocabitur אישה Iſcha, virago &c. Unde illam Adami lætam exclamationem profectam augurabimur? Non alio profecto ſtimulo elicitam, niſi, quod hactenus fruſtra in Conjugem inquiſiverat perluſtratis plurimis viventium generibus, nec tamen ullam ſibi appoſitam aut convenientem reperiens, operam omnem luſerat. Nunc vero, Eva Dei manu allata eam momento citius agnovit pro auxilio ſibi commodo, compellat nomine אישה Iſcha, ad ſe vocat, illi ſe conſociat. Aliunde non comprehendo, quid ſibi velit הפעם, *tandem aliquando*: hoc enim innuit vocabulum, rem diu quæſitam, expectatam, & ſperatam tandem adeſſe & ſe ſiſtere. 4) Dicitur, ויבא, *& adduxit Deus homini animantia.* Eodem modo dicitur ויביא, *adduxit Deus mulierem ad Adamum.* Eadem recurrit Phraſis, ergo idem

opus denotatur. Evam adduxit Deus ad hominem, non ut nomine ſolo exornaret, ſed ut auxiliatricem in ea agnoſceret, eamque ſibi ſociam adſumeret. Ergo etiam animalia homini propoſuit, non nudis nominibus diſcernenda, ſed contemplanda, examinanda, & ſi opus, ſeligenda. Denique quam rationem ſuppeditat nominum impoſitio, cur Deus Adamo piſces non repræſentavit? Illine nominibus non indigebant? num indigni erant qui nominarentur? utrum adduci non poterant, vel pedibus deſtituti, in terra non progredi? Sed prope aberant maxima flumina Tigris & Euphrates! nec minus quam cætera bruta nominibus diſtinguuntur. Ergo vera cauſa fuit, quoniam cum piſce commercium Adamus inire non poterat, ut telluris, non aquarum aut maris incola.

§. VII. Quæ cum ut putamus veritati conſona a nobis ſunt diſputata, ad alteram diſſertationis noſtræ partem progredimur, demonſtraturi verba textus ſacri propoſito divino exacte congruere, & a nobis recte & ad mentem Moſis eſſe translata. Non diffitemur iis multum perplexitatis ineſſe, unde facile erroris anſa data eſt interpretibus. Nos pro viribus allaborabimus, ut omnem caliginem depellamus, luminique hunc præclarum locum exponamus.

§. VIII. ויצר יהוה, *& formaverat Jehovah*: ita recte a pleriſque hæc verba exprimuntut; ſunt enim animalia quinto ſextoque die ante hominem producta, quapropter præteritum pluſquamperfectum, non perfectum locum habet. Druſius pro ו optime ſubſtituit *autem, finxerat autem*, qui verus eſt ſenſus. Germ.

Germ. Es hatte aber GOtt gemacht. Tremellius quo se vertat nescit, hinc variam faciem verbis sacris induit, ut verum sensum eruat. Transtulit: *Nam cum formasset Deus*, quod Hebraice esset וכי יצר, non ויצר. Sequentia verba nihil habent difficultatis: *Finxerat Jehovah e terra omnem bestiam agri* (i. e. agrestem) *& volucrem cœli* &c. Sed ויבא nollem transferatur *& adduxerat*, verum omnino *& adduxit*; Quia non quod peregerat Deus describitur, sed quod jam agebat. Nempe postquam de hominis consorte cogitasset, adduxit animalia, illa quæ antea formaverat. Germ. Es hatte aber GOtt der HErr die Thiere und Vögel erschaffen, dieselben brachte er nun zu dem Adam zu sehen ꝛc.

§. IX. מה יקרא לו. LXX. τί καλέσει αὐτά; Hinc Vulgatus: *quid vocaret ea?* Trem. *Qui vocaret singulas.* Drus. *Quod nomen imponeret cuique?* Coccej. *Quid appellaturus id esset?* Clericus: *Quomodo ea appellaret.* Fateor harum versionum nullam mihi satisfacere; Eamus per singula. מה quid hic significet, difficulter deprehenditur: hinc interpretum diversæ sententiæ: nec potest sano sensu exponi, nisi *Ellipsis* statuatur: ut מה ponatur pro במה שם, *quo nomine.* Denotat vero phrasis קרא בשם, *aliquem pronunciato ejus nomine ad se vocare, accersere, jubere adesse* seu *ad aliquid designare.* Ita ex. gr. Es. XL, 26. *Educens numero Exercitum cœlestem*, לכלם בשם יקרא, *& vocans* (adesse jubens, accersens) *omnia* (sidera) *nomine suo.* Cocc. *omnes nomine suo citans.* Pulcre. Tum vero sæpius nomen בשם omittitur, ut Es. LV, 5. גוי לא תדע תקרא,

 quam

quam non nosti gentem advocabis, (nomine) *adesse jubebis.* Particula לו ab omnibus ad animalia refertur, quæsita sc. Enallage Singularis pro plurali, לו pro להם, quam Buxtorfius in Syntaxi annotavit, *ipsi*, pro *unicuique ex bestiis & volucribus.* Nec nego, dari ejusmodi Enallagen, qua affixum singulare pro plurali adhibetur: sed talem nego hic inveniri; Sunt enim hic diversa Substantiva, ut simile exemplum a nemine, quantum scimus, annotatum sit. Deinde scribendum fuisset לה non לו: nam mox pro animalibus dicitur נפש חיה *anima vivens* fœminino genere, & antecedit tamen יקרא לו Genere Masculino. Itaque repudiata Enallage, לו ad Adamum ipsum referendum opinamur, & explicandum per *sibi*, *advocavit sibi*, *jussit sibi adesse.* Phrasin non insolentem esse docemur Esth. IV, 12. ubi Haman ait, וגם למחר אני קרוא לה, *atque etiam in crastinum diem ego vocatus sum ipsi*, Estheræ, i. e. jussus adesse ipsi in convivio. Idcirco Moses verbis מה יקרא לו duo intendit, primo, ut doceat Adamum animalia nominibus vocasse, deinde & præcipue, ut hoc modo vocando ea sibi juberet adesse, quo accuratius illa perpendere & contemplari posset.

§. X. וכל, *& Omne.* Non statim quidem apparet, quorsum hic referatur כל: Sed sensus postulat, ut nihil aliud hic subintelligamus, quam nomen שם, q. e. וכל שם, *& omne nomen*: quod etiam fere ab omnibus commentatoribus suppletur, imprimis tamen a Drusio, qui diserte habet, ut volumus: *Et omne nomen.* Similis locutio obvenit Je-

Jerem. XXXIII, 16. וזה אשר יקרא לה, *& hoc, quo vocabit illam*, i. e. וזה שם, *& hoc est nomen.* Suppletur שם Jerem. XXIII, 6. וזה שמו אשר יקראו *& hoc nomen ejus, quo eum vocabit.*

§. XI. אשר יקרא לו. LXX. Πᾶν ὃ ἐὰν ἐκάλεσεν αὐτό. Sine sensu. Similiter Vulg. *Omne enim quod vocavit Adam animæ viventis.* Quæ nihil significant. Drus. *Omne nomen quod imposuit homo* &c. Sic multi alii. Qui tamen Hebraicæ locutionis sensum non expresserunt. Nam vix alibi קרא cum Dativo significat, *nomen imponere*: nec si loca occurrant, in quibus ita exponi debeat, illa significatio hic quadrat. Nisi ineptam admittere velimus Tautologiam. Et omne nomen, quod imposuit Adam animæ viventi erat nomen ejus. Quid sibi volunt verba הוא שמו, *erat nomen ejus* Num Adam aliam ob rationem animalibus dare aut voluisset aut potuisset nomina, quam ut essent eorum nomina. Eo ipso quo imposuit iis nomina, erant eorum nomina. Id uti ex se intelligitur, minime putamus requiri hic verba הוא שמו, si לו אשר יקרא, notet, *nomen imposuit.* Deinde Drusius non habet ullum respectum voculæ לו, quam plane omisit. Tremellius expressit quidem, sed perversa relatione, *quocunque nomine vocavit illas Adam, animantem quamque.* Quasi vero לו pertineret ad נפש, sed tunc לה non לו scribendum fuisset, quoniam נפש hic genere fœminino adhibetur. Deinde לו abundaret, quod nec etiam admittendum videtur. Nos ergo iterum transferimus: *Et omne nomen, quo vocavit sibi, accersivit, adesse jussit Adam animam viventem*

tem, illud est nomen ejus, In qua versione nihil tautologicum. Nam non statim, quando aliquem certo nomine ad me voco, illud est nomen ejus: Sed Adamica hæc advocatio hac gaudebat prærogativa, ut illa nomina, quibus bestias advocabat, iis in posterum manerent. Germ. **Und alle Nahmen, bey welchen Adam die lebendige Seelen (die Thiere) zu sich rieff (um sie zu betrachten, und sich eine Gehülffin daraus zu wehlen), das waren ihre Nahmen (mit welchen sie von den Nachkommen sind benennet worden.)** Quæ versio simul aufert omnem difficultatem, quæ aliter exponentibus hæret in postremis hujus versiculi versibus אשר יקרא לו האדם נפש חיה הוא שמו, ut ex LXX. Vulg. aliisque elucet: cum nobis aptissime fluant omnia.

§. XII. ויקרא האדם שמות לכל הבהמה. Non necesse est, aliorum hic translationes apponere, omnes insistunt impositioni nominum, quam tam hic factam esse nec nos inficiamur, sed aliud præterea quærimus. Existimamus autem שמות positum esse pro בשמות, uti vulgo hæc Phrasis occurrit, & nos supra locum ejus generis ex Jes. XL, citavimus. Hoc itaque verba sonant: *Et citavit Adam nominibus omne jumentum, & omnem volucrem, & omnem feram agrestem.* **Und Adam rieff zu sich bey Nahmen, alles Vieh, und alle Vögel, und alle wilde Thiere.**

§. XIII. ולאדם לא מצא עזר כנגדו. LXX. τῷ δὲ Ἀδὰμ οὐχ εὑρέθη βοηθὸς ὅμοιος αὐτῷ. Vulgatus ad verbum vertit: *Adæ vero non inveniebatur adjutor similis ejus.* Uterque sensum non verba assecutus est.

Pa-

Pariter Lutherus: Aber für dem Menschen ward keine Gehülffin funden, die um ihn wäre. Et Tremellius: *Non aderat Adamo auxilium commodum.* Verum secundum Idiotismum & Genium linguæ sanctæ ita reddenda sunt: *Et sibi non invenit* (sc. Adam) *auxilium.* Germ. für sich aber fand Adam keine Gehülffin. Primo ולאדם non significat *Adamo*, sed substituitur in locum Pronominis לו. Id hic apposite observatum vidimus a Drusio in notis majoribus. HOMINI VERO) i. e. *sibi*, *Nomen loco Pronominis. Tale est: dixit Moses Socero Mosis*, i e. *suo*. Exempla per quam multa suppeditat Glassius. Qualia sunt Gen. XVI, 16. *Erat autem Abram natus 86. annos, cum pareret Hagar Ismaelem Abramo*, i. e. IPSI. 1. Reg. VIII, 1. *Tunc convocavit Salomon Seniores Israelis ad Regem Salomonem*, i. e. *ad se*. Ita hic: Et advocavit Adam animalia, & Adamo non invenit, i. e. *sibi* non invenit. Secundo verbum מצא non ad Deum (ut nonnulli satis incongrue volunt), sed ad Hominem refertur. Nam Deus non exquisivit homini auxilium, sed homo ipse. Cætera nihil habent obscuritatis. Hisce ultimis denique verbis nostra sententia validissime confirmatur, quoniam nulla est connexio inter illud, quod animantibus Adam nomina contulerit, & sibi tamen nullum auxilium invenerit. Maxime vero combinantur, si Adam inter bestias sibi conjugem quæsivit, sed non reperiit.

Cap. IV.

ARÆ MOSAICÆ EXTERIORIS NOVA DELINEATIO, QUA VARII NONNULLIS PRÆSERTIM JUDÆIS ERRORES EVELLUNTUR.

ARGUMENTUM.

Occasio Dissertationis §. I. *Nomina* Aræ Mosaicæ explicantur. α) *Misbeach* quid? β) Altare holocausti. Cur *holocaustum* עולה dicatur. γ) Altare *ligneum.* δ) *æreum.* ε) Num etiam *terreum*? quod affirmatur. §. II. Aræ *locus.* §. III. Aræ partes, & primo quidem *pars primaria.* Quid *cavum Tabularum.* *Focus* aræ terreus. Cur & quomodo ingesta terra. 2) *Cornua* aræ. §. IV. 3) *Clivum* adfuisse probatur. §. V. 4) *Ambitus.* Unde *Carcobh* dictus. §. VI. *Altitudo* Aræ vera trium cubitorum; contra Rabbinos & Lundium immenso argumentorum pondere defenditur. §. VII. VIII. 5) Quid *rete*, & quare *Michbar* vocatum. §. IX. *Usus* retis a Judæis, Relando, Lundio designatus rejicitur. §. X. XI. Verus Retis usus innuitur. §. XII. 6) *Annuli* aræ. 7) *Vectes.* §. XIII. 8) *Fundamentum* §. XIV. *Ignis* in ara quotuplex. Num ternus. Quod negatur. *Unus* fuit. §. XV. *Ignis perpetuus* eliminatur. §. XVI. Judæorum ficta miracula circa hunc ignem exploduntur. §. XVII.

§. I.

Quum nuper Antiquitatibus sacris exponendis operam darem, ad *Aram Mosaicam* delatus, illius formam secundum præscriptum divinum paulo pressius exegi. Quo facto eandem longe diversam, ac hactenus commentatoribus traditum, deprehendi: quorum nonnulli nimium suis indulserant

rant conjecturis, alii multum fidei Judæorum inanibus figmentis adhibuerant, quidam denique præjudiciis abrepti veritati dissona scripserant. Quapropter facturum operæ me pretium nullus dubito, si Aram illam ab ementita specie & adscititio ornatu vindicatam, suo habitu indutam claro lumini exposuero, atque in libertatem asseruero.

II. Nomen primarium, quod ARÆ *exteriori* competit est מזבח Misbeach Exod. XXVII, 1. cujus Radix זבח zabach notat *aliquid alicui in cibum mactare*, & nomen זבח zebach *ipsum illud in cibum mactatum & oblatum*, מזבח vero *locum*, in quo illud quod in cibum mactatum & paratum est, offertur & apponitur. Sacrificia Deo in cibum cedebant, & ARA, in qua offerebantur, *mensæ* vicem præstabat, quæ hac ratione apposite מזבח Misbeach nominatur. Non tamen *Ara exteriori* priva erat hæc appellatio, nam *Altari aureo* interiori suffitus quoque confertur, cujus rei hæc videtur esse causa, quod non minus in hoc, quam in illa aliquid Deo gratum parabatur, quodque aliquid utramque inter oblationem intercedebat convenientiæ, utraque quippe fumo elevabatur, de utraque usurpatur verbum הקטיר, de *Suffitu* Exod. XXX, 7. והקטיר עליו אהרן קטרת, *&* ADOLEBIT *supra illud* (Altare) *Aharon suffitum*; de *sacrificio* Exod. XXIX, 18. והקטרת, & ADOLEBIS *arietem integrum super altare* &c. Distinguitur vero ara exterior ab interiori adjecta sæpius nota, sic Exod. XXXI, 1. vocatur מזבח העולה, ALTARE HOLOCAUSTI. *Holocaustum*, (quod præstantissimum erat Sacrificiorum, quia totum Deo consecrabatur, & perfectissimum

mam Christi obedientiam, Salutis nostræ causam adumbrabat, non inde nomen Hebr. עולה habet, quod integrum fumo cœlum ascendat, & totum in cineres redigatur, ut vulgo putant, sed quod integrum in hanc aram extollebatur, atque in eam totum ferebatur comburendum: adeo ut dictum sit עולה *ascendens*, non quod de altari fumo & igne sursum ascenderit, sed quod altare ascenderit, in istud scilicet Sacerdotum manibus delatum & repositum. Hac Phrasi quippe elevatio sacrificiorum in scriptura designatur. Sic de Noacho Gen. VIII, 20. ויעל עולות במזבח *& extulit holocausta super altare*; imposuit illa altari. Item de suffitu Exod. XXX, 9. לא תעלו עליו קטורת זרה *non feretis super altare suffitum alienum.* Est itaque מזבח העולה proprie & ad literam, ALTARE ASCENSIONIS, *elevationis*, ὑψώσεως, ut doctissimus Vitringa, qui nobiscum sentit, exponit, *Observ. lib. II.* p. 461. γ) ALTARE LIGNEUM dicebatur Exod. XXVII, 1. quia Corpus ejus lignis Sittim constabat, uti arca fœderis ארון עץ, *arca lignea*, ut ut auro undique tecta. δ) 2. Chron. I, 5. & 6. appellatur מזבח הנחשת *altare æneum*, quia ære obductum erat Exod. XXVII, 2. ne scilicet vi ignis lignea altaris materia detrimentum caperet aut consumeretur. ε) Num *ara* nostra sit illa *terrrea* מזבח אדמה, quam Deus Mosi facere præcipit Exod. XX, 24. disceptatur. Nobis omnino ita videtur. 1) Quia non legitur præceptum hoc Deus unquam revocasse. 2) Imo vero quia præcepta antecedentia & consequentia ejus erant generis, ut ea nunquam revocata, sed fortius confirmata in posterum certo constet

ſtet, idem de altari terreo ſtatuendum videtur. 3) Deus ait: *Altare terreum facito mihi omni loco, ubi celebrandum & commemorandum jubebo nomen meum.* Hujusmodi vero loca bina tantum extitere, *Tabernaculum* & *Templum.* In alterutro horum mandatum divinum effectum debuit eſſe datum. Templi prioris *altare* vocatur *æneum* 2. Chron. IV, 1. Id tamen integrum ex ære conſtitiſſe, nemo fortean dixerit: nam non ſine ratione ſtatuitur, corpus altaris fuiſſe *lapideum*, ære tamen obductum ad imitationem æræ Moſaicæ. Alias mirandum eſſet, cur inter æs a Chaldæis e templo ablatum moles ærea altaris non recenſeatur Jerem. LII. In Herodis vero templo, imo & Zerubbabelico integrum altare lapidibus conſtitit. Jam præcepti divini de altari terreo pars erat Exod. XX. ואם מזבח אבנים, & ſi quando ALTARE LAPIDEUM *mihi exſtrues*; ea præcepti pars in templo impleta eſt. Ergo neceſſario pars altera de ARA TERREA relinquetur in Tabernaculo complenda. Id vero quomodo fieri potuerit, & quomodo revera factum fuit, mox amplius docebimus.

§. III. ARA *exterior* ſtatuta erat in Atrio Tabernaculi, Orientem verſus, inter januam atrii, & januam Tabernaculi, uti legimus Exod. XL, 29. ALTARE HOLOCAUSTI *poſuit ante oſtium tentorii.* Quapropter non poſſumus ſatis mirari quorundam ſententiam, qui pronunciant, altare non exacte portæ oppoſitum, ſed nonnihil ad meridiem fuiſſe protractum, inducti calvo aliquo ratiocinio, quod indignum judicamus, ut hic referatur.

§. IV.

§. IV. Aræ ipsius partes erant sequentes. 1) מזבח proprie 2) קרנות, CORNUA. 3) כבש, CLIVUS. 4) כרכב CIRCUITUS. 5) מכבר, OPUS RETICULATUM. 6) טבעות ANNULI. 7) בדים VECTES. 8) יסוד FUNDAMENTUM. Ordine has consideremus. 1) ALTARIS ita proprie dicti *formam* sic injungit Deus Exod. XXVII, 1. *Conficies altare e ligno Sittim, longum 5. cubitos, latum totidem, quadratum* (רבוע), *altum cubitos tres.* Erat itaque corpus Parallelepipedum, cujus superficies superior 25. cubitos quadratos, totum solidum 75. cubitos cubicos complectebatur. Speciatim præcipit Deus, ut sit נבוב לוחות. v. 8. i. e. ad verbum, *cavum tabularum.* Atque in eum sensum LXX. κοιλὸν σανιδωτὸν ποιήσεις αὐτὸ, *cavum tabularum facies illud,* Similiter Jonathan: *Cavum e tabulis plenum pulvere facies illud.* Et Aben Melech ita inquit: נבוב *item est quod* חלול *cavum. Nam apud Rabbinos* ביב *est concavitas, & sensus est: Facies tabulas e quatuor lateribus ejus, cujus medium erit cavum. Nec erat ei tectum seu operculum; implebantque medium ejus terra, quo tempore castra ponebant in aliquo loco & hoc est quod ait, altare terreum facies.* Hæc Aben Melechi verba cum veritate consentire ostendit propria vocis נבוב significatio, ipsa ratio & præceptum Dei. Nam α) Vocis נבוב radix inusitata est ביב, unde habemus apud Chaldæos & Arabes בבא, *portam, introitum excavatum domus,* habemus בבת *pupillam oculi* quasi ostium ejus, habemus Talmudicum ביב *fossam* & nonnulla alia, quæ allatam expositionem confirmant. Cum itaque לוח *tabulam* denotet, נבוב לוחות constructum erit ex qua-

quatuor asseribus conjunctis, ac in formam quadratam dispositis. β) Ratio tabernaculi, ut ναȣ̃ μεταφερομένȣ, *templi portatilis*, talis esse debuit, ut commode, quoad omnes partes transferri & promoveri potuerit, nullo tamen ad essentiam illius spectante desiderato. Igitur ARA EXTERIOR juxta hanc normam erat paranda. In deserto peregrinandum erat. Altare mere terreum aut lapideum transportari non poterat. Itaque in omnibus stationibus novum erigi oportuisset. Ut huic incommodo subveniret Deus, jussit aram parari, non solidam, sed *cavam*, i. e. proprie *thecam aræ*: qua posita statim sine multo labore, terra modo ingesta, novum altare erectum erat, veteri in omnibus simile. Præterea experientia docemur, æs igne superimposito facile incalescere, quod si ergo *focus* Altaris fuerit *æreus*, nihil certius inde consequitur, quam lignum conclusum mox in cineres fuisse redactum; ergo *focum terreum* statuamus necesse est. γ) Quia sic exsecutioni præcepti divini de *ara* extruenda *terrea* etiam consulitur, ut ab initio monstravimus. 2) CORNUA קרנות Altaris quod attinet, nihil de iis annotamus, præter id quod a Viris doctis dudum ostensum est: hic non cogitandum, de *cornibus taurinis* aut *arietinis*, sed de quadratis eminentiis, in angulis quatuor altaris extantibus.

§. V. 3) Partis tertiæ, כבש, CLIVI seu *ascensus altaris* nulla fit expressa in scriptura mentio. Cujus causa hæc unica dari poterit, quod ascensus non erat pars altari connexa; sed statuto altari, *Clivus* ex terra parabatur; sublato, relinquebatur; uti illa terra,

ra, qua cavitas implebatur. Nam uti ſcriptura ſuperfluum judicavit, illius terræ, quæ focum præſtabat, expreſſam mentionem agere, cujus neceſſitas ex ſe patebat; ita etiam *clivum* præteriit, quo tamen ara carere non poterat. Cum præterea, ſi aræ adhæſiſſet, cum ea a Sacerdotibus deportandus, id haud exiguum creaſſet incommodum, illorum rejicimus ſententiam, qui *clivum* & altari conjunctum & ex aſſeribus factum eſſe opinantur. Cæterum adfuiſſe CLIVUM, i. e. lenem ad Altare aſcenſum ſequentibus argumentis evincitur. α) Verba Exod. XX, 26. de altari terreo ſpectaſſe ad altare Moſaicum, ſupra diximus. Jam ibi adjicitur: *Ne aſcendas per gradus ad altare meum, ne retegatur nuditas tua.* Non hic prohibetur omnis aſcenſus, ſed ille tantum, qui fiebat *per gradus*: Si omnis, dicendum fuiſſet: Ne aſcendas omnino ad altare meum. Igitur non vetatur, ſed plane jubetur & præcipitur, ut molli & acclivi ſenſim aſcenſu ſine magna pedum divaricatione paulatim ſacerdotes ad altare aſcenderent. β) Levit. IX, ſcribitur *Aharonem peractis ſacrificiis de altari deſcendiſſe*: quod ſi deſcendit, antea debuit aſcendere. γ) *Aræ* templi poſterioris clivus aderat, quam ad imaginem Moſaicæ formatam eſſe nemo negabit. δ) Altum erat *Altare* tres cubitos, eandem altitudinem communis hominum ſtatura exæquat. Quo igitur pacto a Sacerdotibus ignis accendi, diſponi, cineres removeri, ſacrificia potuerunt ordinari, niſi beneficio clivi ad medium aræ aſcenderint, ſeque ſupra illam elevarint. Itaque ſic de Clivo exiſtimamus.

1) Cli-

1) Clivum fuisse terreum. 2) Assurrexisse ad aræ medium. 3) Latum cubitos quinque. 4) Altum cubitum cum dimidio. 5) Hinc ex rationibus Geometricis lineam ascensus cubitos quinque cum parte quinta circiter ($5\frac{1}{5}$). 6) Spectasse austrum. 7) Fuisse unicum.

§. VI. 4) Quia ara fuit tam lata & spatiosa, ut licet quis per clivum ascenderit, non tamen in illa omnia rite peragere potuerit, necessum videtur AMBITUM a Clivo aram integram cinxisse. Atque ille in Scriptura Ex. XXVII, 5. vocabulo כרכוב Carcobh designatur. Nam Onkelos interpretatur סובבא *circuitum.* Et Jarchius ait: *Quicquid cingit undique in rotundo vocatur* כרכוב Carcobh. Bene quidem; sed originem vocis non referant: nec, ut puto, referavit quisquam alius. Quapropter nos aliquid hic tentemus. Componitur nobis כרכוב Carcobh, ex verbo כרך, Cerach, & nomine כב Cobh. כרך *cingere*, *circumdare* significat, unde apposite urbs munita, muro cincta כרכא Ceracca vocatur. כב Cobh substitutum putamus in locum קב Kobh, nam Caph & Koph, ut ejusdem organi literæ, indifferenter usurpantur in vocibus quamplurimis. קב a radice קבב *fornicare*, (unde Num. XXV. קבה, i. e. *thalamus*) Chaldæis & Arabibus usitata, notat *opus* quodvis *fornicatum*, & etiam id quod ad hujusmodi opus accedit. Sic קב Cab est *mensura frumentaria excavata* scilicet. Itaque valde concinne id nominis datur cavo altaris, quippe in fornicis modum exstructo. Erit כרכקב proxime, illud quod focum cingebat, i. e. *ambitus*, *circuitus.* Deinde Koph ob Caph an-

antecedens abiit in literam similem כרככב, denique plane periit more linguæ, superstite כרכב.

§. VII. Rabbini, eorumque sequaces, autumant, *altitudinem* altaris, quæ in scriptura definitur trium cubitorum, incepisse ab *Ambitu.* Jarchius mire se implicat, cujus verba referre nolumus, quoniam aram templi Herodiani perpetuo confundit cum ara Mosaica. Kimchius in libro radicum a Drusio citatus sic scribit: *Altitudo altaris erat decem cubitorum. Quod autem dicitur, & trium cubitorum altitudo ejus, de illo variant Doctores. R. Juda dicit, verba sumenda esse ut sonant. Nam altitudo ejus tantum trium cubitorum erat. Sed R. Jose dicit, hoc intelligendum esse a labio ambitus & supra.* Unde Munsterus, & Fagius, iisdemque verbis magnus ille Plagiarius Clarius ad Exod. XXVII, 5. sic commentantur: *Ab ambitu illo* (כרכב) *altare adhuc eminebat tribus cubitis. Et quando scriptura dicit, altare in altitudine habuisse tres cubitos, id Hebræi intelligendum ajunt ab ambitu, alioquin ad ambitum ipsum sacerdotes ascendebant, licet non per gradus unde colligitur, altare majorem habuisse altitudinem, quam trium cubitorum.* Lundio id haud displicuisse video, quanquam non 10. sed septem integræ altitudini adscribat cubitos. Sed adducamus ejus verba, ob rationem quæ deinceps patefiet: Wie wir nun dieß (nemlich daß die Höhe der 3. Ehlen von dem Umgang anzurechnen, nach der Hebräer Meinung) nicht eben leugnen wollen, sondern es für glaublich halten, so weiß ich doch nicht, ob man

ihnen

ihnen den Juden, ferner glauben könne, wann sie vorgeben, der Altar Mosis sey in der Stiffts-Hütten eben so hoch gewesen, als er hernach im Tempel war/ nemlich zehen Ehlen. Dieß scheinet nicht wol glaublich zu seyn, weil ein so hoher Altar zu tragen beydes schweer, wie auch zu unbequem gewesen. Ist die oberste Seule 3. Ehlen hoch gewesen, so ist glaublicher, daß der gantze Altar nicht über sieben Ehlen hoch gewesen, weil das Eherne Gitterwerck die Mitte des Altars machte, solch Gitterwerck aber unter dem Umgang war. War nun der Altar über dem Umgang drey Ellen hoch, so wird die unterste Seule ohne Zweiffel vierdthalb Ellen, und der Fuß etwa eine halbe Elle hoch gewesen seyn, daß daß Netzwerck eine halbe Elle unter dem Umgang gewesen, und der Altar also zusammen 7. Ellen in die Höhe gehabt, als vierdthalb Ellen von oben bis an das Strickwerck, und vierdtehalb vom Strickwerck bis auf die Erde. Von solcher Höhe aber, von sieben Ellen, hat er noch bequem getragen werden können.

§. VIII. Quid hic dicam aut sentiam prorsus nescio. Altare formatur & reformatur, extenditur & contrahitur, non secundum Dei præceptum, sed ex Judæorum cerebro, & perversis traditionibus: Idque, quod mireris, sine ulla, ne quidem probabili ratione. Jam vero altaris descriptio, uti a Judæis, & qui eos sequuntur, concipitur, non solum Scripturæ sacræ est contraria, verum etiam prorsus absurda & ridicula, quod planum erit ad sequentia attendentibus. 1) Exod. XXVII, 1. sic Deus jubet: *Facies al-*

tare longum cubitos 5. latum totidem, ושלוש אמות קומתו, *& tribus cubitis constet ejus altitudo. Tribus*, inquit Deus, non *septem*, multo minus *decem*. 2) ibid. v. 5. *Rete* collocatur *sub ambitu*, diciturque idem *rete* pertigisse ad altaris medium. Quod si vero altitudo altaris, & per consequens altare ipsum incipit ab ambitu, necessario statuendum, ea quæ sub ambitu fuerunt, ad altare minime pertinuisse. Atqui rete fuit sub ambitu: Ergo altaris pars non fuit, sed tantum imam altaris partem tetigit. E contrario Scriptura clarissimis verbis asserit, *rete ad medium altaris* pertigisse: Hinc demum luce meridiana clarius elucescit, illud *rete* partem fuisse altaris, ejusque altitudinem sub altaris altitudine trium scil. cubitorum comprehendi. 3) Statura vulgaris hominum vix adæquat tres cubitos. Quod si itaque statuamus, altare ab ambitu, eminuisse tres cubitos: nullius omnino usus erat ejusmodi *ambitus*: quia Sacerdotes focum altaris ex illo attingere non poterant, ut jam supra monuimus. Dicendum foret, duos fuisse clivos, duosque circuitus, quod quam absurdum, & quam plane non Scripturæ consentiat, quivis deprehendit. 4) *Altare* fuit *portatile*, vectibus tantum ligneis, tenui æris lamina obductis sustentatum: posita vero illa Judæorum altitudine, quam immane corpus ne dicam *monstrum* prodierit, cogitari fere nequit: cui sustinendo non vectes ænei, non hominum humeri suffecissent. Sensit incommodum Lundius, ac demsit tres cubitos quidem, sed non difficultatem, nec absurditatem, imprimis quia pro lubitu septem cubitos fingit & refingit. 5)

Ea

Ea in *aris* sacris observata est proportio, ut longitudo ac latitudo semper superaverint altitudinem. *Ara* Salomonis longa erat 20. cubitos, totidem lata, alta 10. *Ara* Herodiana in longum extendebatur cubitos 32. & in latum, in altum 10. Ergo congruum erit, ut cum longitudini Deus in ARA *Mosaica* attribuerit cubitos quinque, altitudini ne demus supra tres. Hisce probe perpensis, nemo frigidis nonnullis ratiunculis assensum præbeat, aque simplici scripturæ sensu deflectat: nisi velit ingentibus se involvere difficultatibus.

§. IX. 5) Quinta altaris pars מכבר, Michbar appellatur, quæ facta dicitur מעשה רשת *opere retis*, seu *reticulato*, in formam RETIS. Vox מכבר, agnoscit radicem כבר *valde multum vel magnum esse*. Cl. Relandus existimat a *magnitudine* tulisse nomen, quod paulo ultra longitudinem latitudinemque altaris se extenderit: quasi *augmentum* dicas. Id nobis minus arridet. Nam 1) uti a *magnus* non deducitur *augmentum*, sed *magnitudo*, ita a כבר, quando *magnum esse* significat derivari non potest מכבר notione augmenti. 2) Rara admodum in sacris est significatio *magnitudinis* verbi כבר, longe frequentior illa *multitudinis*. Itaque 3) autumamus, nomen מכבר Michbar indicare aliquid, in quo est *multitudo*, sc. *foraminum*. Hoc 4) confirmatur alio ejusdem radicis vocabulo כברה, quod *cribrum* significat. 5) Adstruitur consensu fere omnium inter-

pretum. LXX. vertunt *ἐσχάραν craticulam.* Onkelos סרדא, *cribrum.* Rabbini נפה *cribrum*, vel *Cancellos* &c. 6) Denique ipso sacro codice, in quo Michbar dicitur factum *opere reticulato* מעשה רשת, quæ verba nihil aliud sunt, nisi expositio vocabuli מכבר Michbar. *Locum* hujus *retis* clare ostendit Scriptura Exod. XXVII, 4. 5. *Et facies ei* (aræ) מכבר Michbar *in formam* RETIS, *ex ære: & aptabis illud sub ambitu altaris ad infra: eritque* (ut sit) *illud rete* עד חצי המזבח *ad medium altaris*, i. e. ut pertingat ad medietatem, ad dimidiam altaris altitudinem. Hinc discimus a solo seu fundamento ad ambitum undique aram opere reticulato fuisse cinctam: ut adeo valde aberraverint commentatores, qui vel ex hoc reti focum, in quo ignis incenderetur, fecerunt, vel id in ipsam altaris cavitatem locarunt. Quod tamen, ut ab aliis viris doctis satis & sæpius ostensum hic repetere nolumus.

§ X. Inquiramus nunc in usum hujus operis. I. Judæi volunt illud inserviisse *distinctioni sanguinum* inferiorum ac superiorum. Verum hæc distinctio tantum (si unquam) observata est in templo ultimo: nam non Dei præcepto, sed traditionibus Judaicis innititur, de quibus Moses ne somniabat quidem. Relinquamus itaque hunc usum Judæis: & alium, eumque aptiorem excogitemus. II. Cl. Relandus opinatur, *sustinuisse circuitum altaris*; quod non amplectimur, quia tabulæ ære obductæ idem præstare potuissent. III. Lundius sic sentit lib. I. c. 33. §. 31. Ich will meine einfältige Muthmaßung bescheidentlich setzen. Aus Num. IV, 14. sehen wir, daß beym

beym Aufbruche des Lagers, das Geräthe des Brand-Opffer-Altars in diesem Altar verwahret und beygeleget sey. Und ist auch wol glaublich, daß das Feuer des Altars, so die Priester stets unterhalten müßen, mit darinnen verwahret sey. Wo aber mag dieß alles im Altar seyn verwahret worden. Ich halte daß mitten im Altar sey ein dichter Boden gewesen, zwischen dem Netz, und den mit Ertz überzogenen Brettern: unter dem Netz war auch ein Boden, den man konte ausnehmen. Zwischen diesen zweyen Boden ist das Feuer, und das Geräthe verwahret worden. Dann durch das Netz, welches nicht bedeckt worden, hat die Lufft können zum Feuer kommen. Und darum ist im zweyten Tempel kein Gitterwerck gewesen, weil man nicht nöthig gehabt, Feuer darinn zu tragen.

§. XI. Nollem Viro, quem ob lucem, quam Antiquitatibus sacris egregio volumine affudit, æstimamus, talia excidissent: quæ si æqua librantur lance, nihil aliud erunt, quam inanes conjecturæ, codici sacro non innixæ, sed prorsus adversariæ: ut sine difficultate demonstrabimus. 1) *Altare exterius*, ut reliqua sacra tabernaculi vasa, *tegumento involvebatur*, ne vel oculis Vulgi exponeretur, vel manibus profanis tractaretur. Num. IV, 14. *Sacerdotes purificent altare*, & EXPANDANT *super illud* TEGUMENTUM *purpureum*, *& infigant vectes*, *& tum accedant Kahathitæ*, *& portent*, *ne attingant sanctum & moriantur*. Jam quia *rete pars erat altaris*, necessario contegendum erat & occultandum, ne imprudenter ab aliquo tangeretur. Quod si vero re-

rete est obvelatum, quo quæsumus modo ignis intra cavitatem sustentari potuit, statim intercepto aere extinguendus? Et quo fundamento *Lundius* asserit rete non fuisse obtectum? 2) De *Aræ* utensilibus sic præcipitur v. 14. *Expandant Sacerdotes super altare tegumentum purpureum, & ponant* SUPRA ILLUD (sc. tegumentum) *altaris* UTENSILIA *omnia*, ופרשו עליו כסוי עור תחש, *& rursum supra illud expandant tegumentum pelliceum*, Hic clarissime locus vasorum designatur. Non dicitur, collocent vasa intra cavitatem retis; minime gentium! sed primo: *Tegant altare.* Deinde, *superne imponant vasa.* Denique *ea iterum tegant.* Erant itaque vasa aræ intercepta inter duo ejus velamenta, purpureum & pelliceum, nequaquam in opere reticulato, 3) De *ignis* vero conservatione, quod mireris, ne quidem apex literulæ injungitur: quæ tamen omnium maxime fuisset inculcanda, eo quod ignis transportatio magnam postulasset curam, quæ valde difficilis est. Tacet vero Scriptura, quare? Quia non transferebatur, sed in migratione extinguebatur. 4) Nihil extat in scriptura de *fundo* altaris vel in medio, vel in fine. Nec nos debemus aliquid excogitare, ubi scriptura nihil ponit.

§. XII. Ex nobis tandem si quis quærat, cui usui putemus destinatum OPUS RETIFORME, respondemus, nulli alii, quantum hucusque videre potuimus, nisi ut ejus beneficio *pondus aræ* imminueretur. Magnum erat corpus, & ingens moles: attamen humeris perferenda. Superne lignum crustis æreis undique muniebatur. Duplicatura æris & lignum

gnum pondus augebant. Id tripliciter minuebatur inferne per opus retiforme. Primum sublato ligno, dein ablata altera æris lamina: tertium altera æris lamina crebris foraminibus pertusa. Ita aptum quodammodo reddebatur ad portandum, & humeris humanis proportionatum.

§. XIII. Reliquas aræ partes facilius absolvemus. 6) Aderant ANNULI (טבעות) quatuor ærei, quibus vectes immittebantur. De illis Scriptura Exod. XXVII, 4. *Conficies supra, vel juxta rete quatuor annulos æreos, supra, vel juxta quatuor annulos ejus.* Itaque *annuli* erant in altaris medietate prope ambitum, qua ratione onus facilitabatur, non in fundamento, quod plures statuunt. 7) De VECTIBUS nihil addemus præter verba sacra. Exod. XXVII, 6. 7. *Facies* בדים VECTES *altari, ex ligno Schittim, eosque ære obduces, ut possint annulis immitti, in duobus lateribus aræ, quando portandum est.*

§. XIV. 8) Fit etiam mentio יסוד seu FUNDAMENTI altaris, ut ex. gr. Exod. XXIX, 12. *Omnem reliquum sanguinem effundes* אל יסוד המזבח *ad* FUNDAMENTUM *aræ.* Sunt itaque, qui per *fundamentum* partem infimam altaris intelligunt, ex ligno Schittim paratam, & ære obductam, imo dimidium cubitum crassam, cui altare insederit. Verum cum hisce non facimus. Nam Deus de *fundamento* nihil præcepit. Cur? Quia nihil erat: quia non erat pars aræ singularis. Nam si fuisset, æque faciendum præcepisset, ut cornua, annulos, & vectes. Deinde יסוד non semper est aliquid singulare, sed *pro ima cujuscunque rei parte* adhibetur. Sic &

D 5 hic

hic ſtatuimus imam aræ partem fundamentum vocari.

§. XV. Abſoluta *ara*, qualem eam concepimus, delineatione, ſermoni noſtro modum dare poſſemus: ne tamen aliquid deſideretur, appendicis loco, & quidem, quantùm licet, breviſſimis ſententiam noſtram de IGNE in Foco altaris ardente dicemus. Quod ut quodam ordine fiat, primo diſpiciemus, *Num triplici an una ſtrue flagraverit?* Secundo, *Num perpetuo?* Poſtremo, *Num miraculoſus fuerit*, & a vulgari igne diverſus? Primum quod attinet, Judæi & qui eorum traditiones amplectuntur ſine hæſitatione audacter aſſerunt, *triplicem fuiſſe ignis in ara Moſaica rogum. Primum* eumque maximum *holocauſtorum*; *alterum* minorem *ſuffitus: ultimum* & minimum *ignis perpetui.* Judæi hic adeo confidenter agunt, ut eas tres ignis ſpecies in ipſis verbis ſacris reperiri jactent. Sic in verbis Levit. VI, 2. היא עולה על מוקדה, i. e. *hoc eſt* (holocauſtum) *quod aſcendit ſuper rogum ſuum*, latere putant ROGUM MAXIMUM. In verbis ejusdem verſus, אש המזבח תוקד בו, *ignis altaris in eo ſuccendatur*, ROGUM ALTERUM. Denique in v. 6. אש תמיד תוקד על המזבח לא תכבה, *ignis perpetuo in altari accendatur, non extinguitor*, ROGUM ULTIMUM. Quæ argumentatio adeo eſt frivola, & abſona, ut nullibi, niſi in Judæorum cerebro naſci potuerit. Nam ego quidem caput illud *Levitici* ſæpius legi & relegi, ſed non niſi unicam ſtruem offendi: & tantum abeſt, ut in eo nobis triplicis ignis ſuſpicio injiciatur, ut potius unicum diſerte ſtatuat, &

& ternum funditus subvertat, quod qui primis labris Hebraica degustavit, primo deprehendet intuitu. Nemo vero hic obtendat constantem Judæorum traditionem: quæ hic non debet non esse vanissima & omnis momenti expers, quia Scripturæ adversatur, & Judæi non magis, quam nos ipsi partes tabernaculi perlustrarunt. Sed rei claræ immorari nolumus: qui contrarium tenet, mihi in sacra Scriptura ostendat ignem triplicem, & mutabo sententiam.

§. XVI. 2) IGNEM in ara arsisse *sempiternum*, pauci vel nulli fere dubitant. At nos maximopere dubitamus. Extat quidem præceptum divinum Levit. VI, 6. אש תמיד תוקד על המזבח לא תכבה, quæ vertunt: IGNIS PERPETUUS *ardeat in altari, ne extinguatur.* Unde inferunt, ignem a Deo ipso prima vice in altari accensum perpetuo deinceps nutritum fuisse, & nunquam extinctum. Et principio quidem possemus ad hoc respondere, verba aliter esse interpretanda, scilicet: *Ignis semper in altari succendatur, nec extinguatur:* iisque id solum præcipi, ignem non alibi nisi in altari, & quidem semper, *statis* videlicet *vicibus*, omni mane incendendum, nec unquam, dum arderet, suffocandum & extinguendum. Possemus, inquam, hæc optimo jure regerere, quia *sacrificium quotidianum*, quod bis de die, non singulis momentis offerebatur etiam תמיד *perpetuum* dicitur, qua ratione objectio esset nulla: Sed nolumus tamen illa urgere, quia quibusdam dura aliquo modo videbuntur, & concedemus, revera Deum id intendisse, ut in ara

per-

perpetuus ignis alatur. Num vero a præcepto divino ad perpetuam ejus exſecutionem argumentari licet? num licet aſſerere, Deus juſſit ignem ſempiternum in altari ſuo nutriri, ergo nutritus eſt, nunquam extinctus? Minime putem. Deus prohibuit in Decalogo idololatriam, furtum, latrocinium, adulterium. Exindene ſequitur nullos usquam extitiſſe idololatras, fures, latrones, adulteros. Experientia quotidiana omni momento refutamur. Deus juſſit, quotidie ſibi ſacrificia offerri, pueros octavo die circumcidi, feſta ſolennia celebrari, nullibi ſacrificari niſi in tabernaculo vel templo, nullibi victimas comburi niſi in loco a ſe conſtituto & deſignato. Hæccine omnia ab Iſraelitis exacte obſervata legimus. Nihil minus. Amos affirmat Cap. V, 25. *In deſerto ſpatio annorum 40. Iſraelitas Deo nulla obtuliſſe ſacrificia.* Joſua, c. V, 2.3. docet, *in deſerto pueros non eſſe circumciſos*, conſequenter, quia incircumciſo de Paſchate comedere non licuit, *nec Paſcha celebratum.* Ex libris *Judicum*, *Samuelis*, *Regum*, *Chronicorum* diſcimus, Iſraelitas creberrime, relicta ara Dei in excelſis ſacrificaſſe, & neglecto vero Deo idola adoraſſe. Cum in rebus tanti momenti, ſæpiſſime inculcatis, & rigoroſe ſancitis, nihili ſit æſtimata divina voluntas: qua quæſumus probabilitate adſtruemus, hoc unicum præceptum de igne perpetuo ſolum eſſe accurate obſervatum, & nunquam intermiſſum. Sed quid apertius. α) Ignis in altari accenditur, ut ſacrificia ejus beneficio comburantur. Nullis ergo oblatis victimis, nullum ignem fuiſſe ſuſtentatum liquet. Dum ita-

itaque in excelsis offerebant Judæi sacrificia, aram Dei sæpe vacasse, quis mirabitur? Id vero quam sæpe factum, imprimis sub Regibus impiis, Achaso, Manasse, & Ammone. β) Sed quid si ex ipso sacro codice locum afferamus, qui sententiam nostram non solum confirmet, sed fortissime stabiliat. Ille est 2. Chron. XXIX, 7. Sic loquitur Hiskias: *Patres nostri prævaricati sunt, & male fecerunt in oculis Jehovæ Dei nostri, eumque reliquerunt: ac averterunt facies suas* ממשכן יהוה, *a templo Jehovæ. Etiam occluserunt portas Pronai, & extinxerunt lucernas,* וקטרת לא הקטירו עולה לא העלו בקדש, *& suffitum non adoluerunt*, NEC HOLOCAUSTA OBTULERUNT IN SANCTUARIO. En extinctum *ignem perpetuum*!

§. XVII. Tandem, cujus naturæ ignis altaris sacer fuerit, quæritur. Hic se nugandi mentiendique campus Judæis aperit. *Ignem divinitus accensum, leonis instar altari incubuisse, solem splendore æquasse, flamma existente purissima & solida, consumsisse humida & arida, prorsus nullum fumum emisisse.* Addunt alia: *Ignem semper flagrasse, nec tamen æs aræ aut liquefactum, aut lignum ejus esse combustum* (quasi vero focus non fuerit terreus.) *Nunquam neque pluvia neque vento suffocatum aut dispersum. Fumum a ventis frustra impulsum, immotum, columnæ instar ferreæ altum petiisse*; & quæ hujus sunt furfuris innumera alia. Hujuscemodi nugis mirum est nonnullos patulas præbuisse aures. DEus quidem aliquoties igne de cœlo delapso ligna altaris accendit. Sed eo ipso vehementissimo veluti fulmine,

&

& validissimo ictu ignis ille sacer perpetuus funditus prosternitur. Nam si a Mosis tempore ad Salomonem ignis sacer forma visibili in altari conspiciebatur, quid & cur Deus novam suppeditasset flammam? Ignis quippe præsens omnia miracula longe superabat. Sed scilicet, quia nullus aderat, Deus de novo fulmen demittit. Præterea de tantisne tamque innumeris miraculis perpetuum egisset Scriptura silentium, Scriptura, quæ alia refert, ut videtur, minoris ponderis, tam illustria divinæ providentiæ, benevolentiæ, & potentiæ monumenta præteriisset? Nullusne Scriptorum hæc mirabilia digna judicavit, quæ posteritati mandaret? Quis audeat hæc credere; quisve similia menti suæ inducere? Igitur hæc omnia recedant, & explodantur, veluti Rabbinici cerebri infelices fœtus, & commenta vanissima.

Cap. V.

CADYTIN, MAGNAM SYRIÆ URBEM, POST RECENSITAS EXAMINATASQUE VIRORUM DOCTORUM SENTENTIAS, NULLAM ESSE PRÆTER HIEROSOLYMAM OSTENDITUR.

ARGUMENTUM.

Cadytios Urbis mentionem faciunt Herodotus ac Stephanus. §. I. Loca bina Herodoti excerpuntur. §. II. *Syria Palæstina* pro *Judæa*. §. III. Correctio Perizoniana alterius loci admittitur, §. IV. *Jenysus* urbs est Philistæorum *Gaza*. §. V. Prælium Nechaonis cum Syris f. Judæis ex sacro Codice refertur. §. VI. Herodotus in locum *Megidduntis*, perperam *Magdolum* substituit. §. VII.

§. VII. Perizonio post alios satisfit. Num Megiddo regno Judæ attribuenda? §. VIII. Quo pacto Josias Nechaoni iverit *in occursum*, לקראת. §. IX. Referuntur aliorum opiniones de *Cadyti*. Et α) quidem Simsonii, cui est *Carcemisch*. Quid *Carcemisch*? §. X. β) Clerici, cui *Kedesch* Galilææ. §. XI. γ) Perizonii, cui *Cadesch Barnea*. §. XII. Relandi cui *Gath* Philistæorum. §. XIII. Quibus omnibus refutatis ostenditur, *Cadytin* esse *Hierosolymam*. §. XIV. Inquiritur in nomen *Cadytis*. Varia illius Scriptio apud Stephanum, *Calytis*, *Canytis*, *Cardytus*. §. XV. Ligtfootus a קדושה, *Cedufcha*, Sancta derivat. Eluuntur aliorum objectiones. §. XVI. Alia via Etymologia tentatur. Cadytis, a עיר קדש, Ir, vel *Ar Codesch*; vel a קרית קדש, *Cirjath Codesch*. §. XVII. Vel a עיר דוד *Ir David*, aut קרת דוד *Kirjath David*. §. XVIII. Adversarii retunduntur. Num Gentiles Hierosolymam vocaverint *Urbem sanctam*? Quomodo Hierosolyma prope Arabiam? §. XIX. Relando satisfactum. Num Herodotus necesse habuerit templi meminisse. §. XX.

§. I.

HErodotus, antiquæ Pater Historiæ, binis in locis CADYTIS, Syriæ Urbis Palæstinæ, mentionem agit, quam cum præter eum Nemo, quantum tenemus, (si quæ in Stephano de Urbibus habentur fragmenta excipias) calamo exaraverit, utut illam e latebris & *Syria notissima regio*, & laudata Historico *magnitudo* in publicam protrudere lucem debuissent, cumque propterea diversissimæ extent Eruditorum sententiæ, nihil a nobis, nostris quod sit indignum studiis, commissum iri existimavimus, si amplius hanc, quam factum hactenus, pertractemus materiam, & Urbem CADYTIM, tenebris

bris erutam, & difficili acceſſu perplexam, Soli reddamus, & quibuscunque levi opera perluſtrandam exponamus.

§. II. Fundamenti in locum ſubſternemus diſſertationi noſtræ duo Herodoti loca, ubi CADYTIS vocabulum obvenit. Primus legitur lib. II. cap. 159. Καὶ Σύροισι πεζῇ ὁ Νεκὼς συμβαλὼν ἐν Μαγδόλῳ ἐνίκησε. Μετὰ δὲ τὴν μάχην, Κάδυτιν πόλιν τῆς Συρίας ἐοῦσαν μεγάλην εἷλε. i. e. *Cum Syris terreſtri acie congreſſus in Magdolo Nechos, victoria potitus eſt. Et poſt prælium* CADYTIN, *magnam Syriæ urbem cepit.* Alter lib. III. C. V. Ἀπὸ Φοινίκης μέχρι οὔρων τῶν Καδύτιος πόλιος, ἥ ἐστι Συρίων τῶν Παλαιστινῶν καλεομένων: ἀπὸ δὲ Καδύτιος ἐούσης πόλιος (ὡς ἐμοὶ δοκέει) Σαρδίων οὐ πολλῷ ἐλάσσονος, ἀπὸ ταύτης τὰ ἐμπόρια τὰ ἐπὶ θαλάσσης μέχρι Ἰηνύσου πόλιός ἐστι τῆς Ἀραβίου. Ἀπὸ δὲ Ἰηνύσου, αὖτις Συρίων μέχρι Σερβωνίδος λίμνης. i. e. *Nam a Phœnicia usque ad montes* CADYTIS *urbis eorum Syrorum, qui Palæſtini vocantur: Ab urbe* CADYTI *Sardibus (ut mea fert opinio) non minore, ab hac, inquam, Emporia juxta mare usque ad urbem Jenyſum Arabicæ ditionis ſunt: ab urbe Jenyſo rurſus Syriacæ, usque ad lacum Serbonidis.*

§. III. Ne quendam verba Herodotea morentur, atque etiam ut nobis planam reddamus viam, ea quæ ſibi in iis difficultatis aliquid adſumunt prius enodabimus & expediemus. *a) Syros*, quos vocat Herodotus, proprie *Judæos* eſſe, patet, quia Judæa ſæpius ſub nomine Syriæ cenſetur, & ipſe Herodotus, quam loco primo appellaverat ſimpliciter *Syriam*, lo-

loco altero nominat SYRIAM PALÆSTINAM, eamque alibi Lib. IV, 39. includit inter Phœniciam & Ægyptum: τὸ δὲ ἀπὸ Φοινίκης παρήκει διὰ τῆς δὲ τῆς θαλάσσης ἡ ἀκτὴ αὐτὴ παρά τε Συρίην τὴν παρὰ τὴν Παλαιςίνην καὶ Αἴγυπτον ἐς τὴν τελευτᾷ. *A Phœnice protenditur secundum mare litus hoc juxta Syriam, quæ Palæstina est, & Ægyptum, in qua terminatur.* Sic Ammianus Marcellinus lib. XIV. *Ultima* SYRIARUM *est* PALÆSTINA *per intervalla magna protensa.* Verum hoc, quod volumus, luculenter a Cl. Relando, cui debemus hæc duo testimonia, in Palæstina ostensum, quare nolumus hic diutius subsistere.

§. IV. β) Admittimus medelam, quam alteri Herodoti loco præstitit Cel. Perizonius in Orig. Ægypt. Nempe quia Herodotus aliquot terræ tractus memorat, & de singulis addit, cujus sint gentis, delenda erat vocula ἡ, ubi dicitur ἥ ἐςι Συρίων &c. quandoquidem non istud hic egit, ut doceret, cujus gentis fuerit urbs Cadytis, sed potius, cujus gentis esset totus ille terræ tractus a Phœnice usque ad *Cadytin.* Sic enim apposite verba fluent. I. A Phœnicia usque ad montes urbis Cadytis (regio) est Syrorum Palæstinorum. II. Ab urbe *Cadyti* Emporia maritima, usque ad *Jenysum* ditionis sunt Arabicæ. III. A Jenyso usque ad lacum Serbonidem rursus est ditio Syrorum.

§. V. γ) Urbem JENYSUM adeo obscurum vocat locum Cl. Relandus, nec ullis rerum gestarum vestigiis nobilitatum, ut nemo illius præter Herodotum meminerit. Sic est. Nemo præter Herodotum il-

E lud

lud nomen notat, quod ipſum ſatis ignotum eſſe non diffitemur: Urbs tamen ipſa, quæ hoc nomine indicatur obſcura eſſe nequit. Nam Herodotus ait, ſpatium inter lacum Serbonidem & JENYSUM urbem ditionis eſſe Syriacæ: illudque ipſum ſpatium mox deſcribit, quod fuerit iter trium dierum; Eſt vero a Serbonide lacu Palæſtinam verſus ſola urbs *Gaza*, nobiliſſima Philiſtæorum, cui hic Character convenit. Nam ipſe Relandus exclamat: Quis non videt hic deſcribi ἔρημον illam & aridam regionem, quæ inter *Gazam* & lacum Serbonidem eſt? Quam igitur ob rationem in *Gaza* non quærimus JENYSUM. Certe ſitus convenit, nec nomina ipſa valde abludunt. Nam ע in עזה a Græcis exprimitur vario modo; modo plane omittitur, modo per Spiritum aſperum, modo per g &c. Participat enim de ſono τῦ ג & נ, intermixta quadam aſpiratione: Sic poſſet pro *Gaza*, ſcribi *Gnazza*, deinde expreſſo Schevate, *Genazza*, tum, quia affines ſunt literæ & ejusdem organi Gimel & Jod, *Jenaza*. Quam vero conveniat *Jenaza* cum Herodoti ἸΗΝΥΣΟΣ, noſtra non indiget demonſtratione? Nobiſcum ſentit doctiſſimus Vitringa, cujus unius teſtimonium maximi æſtimamus Obſerv. ſacr. l. V. p. 190.

§. VI. δ) Prælium, quod NECHO Ægypti Rex commiſit cum Syris ſeu Judæis, in ſacris nobis tabulis bis refertur. Primo 2. Reg. XXIII, 24. בימי יאשיהו עלה פרעה נכה מלך מצרים על מלך אשור על נהר פרת וילך המלך יאשיהו לקראתו וימיתהו במגדו i. e. *Temporibus Joſiæ aſcendit Pharao* NECHO *Rex Ægypti contra Regem Aſſyriæ, ad fluvium Phrath. Illi obviam pro-*

processit Josias, sed interfecit eum (Necho) *in Megiddo.* Eadem Historia luculentius edisseritur 2. Chronic. XXV, 20. & sqq. Dabimus solam versionem: *Posteaquam instauraverat Josias templum, Pharao* NECHO *ascendit, ad oppugnandum* CARCEMISCH (כרכמיש) *juxta Euphratem, cui obviam processit Josias. At Rex Ægypti legatos ad ipsum misit, qui dicerent: Quid mihi tecum Rex Judæ! jam non contra te, sed contra hostem meum contendo. Deus autem me festinare jussit. Desiste itaque ab oppugnando Deo, qui mecum est, ne te perdat.* Verum Josias noluit desistere: *Sed mutavit vestes, ut cum eo pugnaret: nec attendit ad verba Nechaonis. Conflixit vero cum eo* בבקעת מגדו *in valle* MEGIDDUNTIS. *A Sagittariis autem letaliter percussus, retrocessit, & Hierosolymis e vulneribus mortuus est.* Ad hæc Cap. XXXVI. adjicitur, *Nechaonem* (post reditum a *Carcemisch) Hierosolymis removisse de regno Joachasum, quem populus patri suffecerat, & substituisse ejus fratrem Jojakimum multâ centum talentorum argenteorum & unius aurei terræ imposita.* Eandem hic in sacro codice relatam historiam, quam ab Herodoto, nemo dubitavit. Textus vero sacer mire illustrat Herodotum. Discimus enim 1) Caussam expeditionis Regis Nechaonis, quæ Assyrios proprie non Judæos spectabat. 2) Caussam prælii cum Judæis, Josiæ occursum. 3) Regem Judæorum, cum quo Nechao conflixit, nempe Josiam. 4) Locum etiam, de quo mox plura. 5) Denique acta post prælium.

§. VII. Herodotus refert prælium ἐν Μαγδόλῳ inter

ter Reges commissum esse, at Scriptura במגדו, in MEGIDDO, etiam בבקעת מגדו *in valle* MEGIDDO. Quomodo hæc consentiunt? Jerem. XLIV, 1. occurrit nomen urbis Ægyptiacæ מגדול, *Migdol*, quod non procul Pelusio abfuisse, ex itinerario contendit Bochartus. Erat itaque in ipsa Ægypto, nec statuendum Josiam, Nechaoni eousque occurrisse, quia a finibus & ingressu regni sui eum abarcere tantum contendebat. Quod si verus est quem diximus situs hujus *Migdol*, aliud erit *Migdol*, prope mare rubrum, cujus meminit Moses Exod. XIV, 2. de quo hic ne cogitandum quidem. Scaliger in notis ad Fragmenta sic componit Scripturam cum Herodoto: *Locum vocat Magdolum, non Mageddo, ut Scriptura. Quod, ut credo, vicina erant Magdolum & Mageddo: Sed quia Magdolum celebrius, ob id pugna ibi commissa esse videtur.* Mox addit, *Magdolum esse in finibus Ægypti, via qua ad Palæstinam ducit.* Idem affirmare Herodotum, audacter asserit, in Thesauro temporum. Verum bene est, quod *credit* Scaliger, Magdolum & Megiddo diversas esse urbes prope adjacentes in finibus Palæstinæ: Nos vero absit ut id credamus, sine ullis testibus idoneis, quorum nemo Scaligero adducitur. Nemo unquam *Megiddum* in Ægypto collocavit: nec *Magdolum* in finibus Palæstinæ, id finxit Scaliger, non dixit Herodotus. Demus tamen *Magdolum* in finibus fuisse Ægypti, qua itur Palæstinam, inter hanc & illam desertum ingens ἄνυδρον, & Sabuli plenum intererat, Josiæ superandum. Quis vero sibi in mentem induceret, hunc Regem tanto cum periculo extra suam

ſuam regionem voluiſſe bellum & prælium quærere. Uſſerius & Perizonius, magni Viri, exiſtimant *Magdolum* & *Megiddo* eandem eſſe urbem, quoniam literæ D. & L. ſoleant inter ſe permutari, eamque ſitam in finibus Palæſtinæ verſus Ægyptum, & in hac una tantum hiſtoria memoratam. Verum quis non videt, has meras eſſe conjecturas, ipſis illis Viris non niſi ad tuendam hypotheſin excogitatas. Si *Megiddo* fuiſſet in finibus Judæ, cur nuſpiam gentium, nec in Scriptura, nec alio autore id reperitur. Præterea ubinam oſtendetur nobis *Vallis Megiddo*, (in qua Scriptura ait, commiſſum eſſe prælium) in finibus Palæſtinæ Ægyptum verſus? At Scriptura quam nobis refert *Megidduntem* urbem Menaſſitis attribuit. Joſ. XI, 17. Nec procul diſtantem *Iſrcele*, 1. Reg. IV, & ſic ſita erat in *campo Magno Esdrelom*, (corrupto nomine ex *Iſreel*) uti diſerte Joſephus Antiq. VIII, 2. cujus portionem conſtituebat Vallis *Megiddo*. Itaque cum Scriptura tantum *unicam*, quam diximus, agnoſcat *Megidduntem*, cum præterea (dato plures exiſtere Megiddúntes) nullibi *Vallis Megidduntis* niſi in campo Esdrelom monſtrari poſſit, neceſſario concludimus, vel erraſſe Herodotum, & *Magdolum* pro *Megiddunte* ſubſtituiſſe, in quo nihil inſolens commiſit, cum ſit nomen Phœnicium, & Hiſtoria antiquiſſima, & gentiles in hiſtoria ſacra ex imperitia ſæpiſſime vehementer aberraſſe pateat: vel ſi non erravit, *Magdolum* & *Megidduntem* eundem quidem, ſed Menaſſis eſſe locum, ſcriptione diverſa orta ex viciſſitudine literarum, qualiter legimus, quod Matth. XV, 19. pro *Magdala* in tractu Decapolitano

Syrus posuit *Magedu*: in quo tamen interpretem erraſſe putamus, quod hoc tempore non excutiemus; nam nobis perinde eſt, & ſufficit *Magdolum* Herodoti *Megiddunti* noſtræ non obſtare.

§. VIII. Non obſtare, ais, imo vero haud exigui dubia momenti obſunt. *a*) Cel. Perizonius *Orig. Ægypt.* objicit, Joſiam voluiſſe Nechaonem tranſitu per ſuum Regnum prohibere, Joſepho teſte Antiq. X, 6. *Megidduntem* vero urbem ſitam fuiſſe non in regno Judaico, ſed Iſraelitico, ſupra non Judæam modo, ſed & Samariam ac Ephraim ad fluvium Kiſon. Igitur Nechaonem, quando erat apud Megidduntem, tum vero tranſiiſſe eum vel præteriiſſe jam Joſiæ regnum. Duplici telo hanc configamus objectionem. Uno, Megidduntem tempore Joſiæ non extra ſortem fuiſſe Judaici regni, ſed revera illius regis imperio ſubjectam oſtendendo. Altero Joſiam obviam & in occurſum etiam properaſſe Nechaoni, Judaicos fines jam prætergreſſo. Primum Cl. Relandus in *Palæſtina* ſuppeditat, ſc. imperante Joſia poſt abductas X. tribus ceſſaſſe diſtinctionem inter regnum Judæ & Iſraelis. Joſiam vero non ſolum *Judam* proprie dictam, ſed & *Samariam* poſſediſſe, 2. Reg. XXIII, 19. & *Menaſſitem*, & ſortem tribus *Ephraim*, *Simeonis*, *ac Naphtali*, ibique cultum veri Dei reſtituiſſe 2. Chron. XXXIV, 6. Cum vero Naphtali tribus ſit omnium extrema Boream verſus, Megidduntem ætate Joſiæ ad regnum Judæ ſpectaſſe optimo jure aſſeritur. Secundum hac ratione paramus: Nechao ad bellum contra Aſſyrios feſtinans, Judæam pertranſire animo conſtituerat celerius perficiundo iti-

itineri. Josias transitum ægre ferens, per legatos Nechaonem admonuit, ab hoc ut instituto desisteret, alias se in paratu habere exercitum, quo vim, monitis frustra adhibitis, vi posset repellere. Cui per legatos regessit Nechao, sibi non integrum ab instituto desistere, bello omnem moram esse noxiam, sibi nihil rei cum rege Judæ, cujus nollet regionem infestare, sed sibi oppugnandis felicius hostibus celeritate esse opus. Interea legatis euntibus & remeantibus, Nechao moræ impatiens gressum promovebat, perque viam juxta mare, qua Philistæorum patebat regio, tendebat. Quo casu Josias, ira vehementer commotus, contra Ægyptiacum exercitum, se invito terminos suæ ditionis ingressum magno studio proficiscitur, eumque in campo Megiddunitis assecutus, adoritur, at funestis conflixit ominibus. Causa itaque occursus Josiæ erat, ut transitu prohiberet Nechaonem: tum ut transeuntem Nechaonem repelleret, & impediret, quo minus longius procederet, denique ut alii a transeundo abstinerent. Historiam huic persimilem de *Agesilao*, fortissimo Lacedæmoniorum Rege narrat Plutarchus *in vita Agesil.* quam non referre hic non possumus, cum in ea mens & Actio Nechaonis exactissime exprimatur. *Agesilaus* in Asia commorabatur, Persis bellum illaturus, cum inopinato nuncii domo veniunt, in auxilium Patriæ properet, in quam conspiraverint Athenienses, Bœoti, Corinthii, Argivi &c, *Tum statim Hellespontum copias trajecit, tantaque usus est celeritate, ut quod iter Xerxes anno vertente confecerat is transierit triginta diebus,* quæ sunt

Nepotis verba. Quæ Plutarchus sic elucidat: *Hellesponto transmisso, dum permeat Thraciam, nemini fuit Barbarorum supplex.* MISSIS *ad singulos* LEGATIS *quæsivit, pacatam an hostilem terram transiturus esset? Cæteri eum omnes receperunt, & amice prosequuti sunt. Illi qui Tralles dicuntur, quos Xerxes quoque, ut fama est, redemerat donis, transitus mercedem ab Agesilao poposcerunt centum argenti talenta, totidemque fœminas. Quos ludens, Cur ergo non statim adfuerunt, inquit, ea accepturi? Ita* PROCESSIT, *illosque signis collatis* FUDIT, *& multos occidit. Iisdem cum mandatis ad Regem Macedonum misit legatos: qui cum responderet, deliberare se velle;* DELIBERET ERGO, *inquit,* NOS INTERIM TRANSGREDIEMUR. *Hujus admiratus & pavens Rex audaciam, pacate ut transiret, petiit.*

§. IX. Alia objectione instat Cl. *Perizonius*, diserte dici in libris *Regum & Chronicorum*, Josiam *ivisse, exiisse* לקראתו *in occursum ejus*, Nechaonis. Non potuisse vero istic nempe in *Megiddo* Josiam *occurrisse* Nechaoni, ex Ægypto in Syriam tendenti. Nec enim illud esse *occurrere*, sed potius jam prætergressum *persequi*, & *assequi*. Vis universa objectionis recumbit in significatione vocis לקראת, quam strictissime capit pro *obviam, in adversum*: quem huic voci significatum ut non demimus, ita creberrime latius extendendum existimamus, ut pro *quolibet occursu* accipiatur. Fit vero nullum prælium, ubi non sit hostium occursus. Assecutus est Nechaonem Josias, verum tamen & mutuo obviam processere, conversis utrinque vultibus, aciei rite instru-

ſtruendæ, & committendo prælio. Rem exemplis comprobemus. Naaman Syrus Eliſæi beneficio lepra purgatus & ſanitati reſtitutus, הלך מאתו *ab eo profectus erat.* Gechaſi famulus Eliſæi avaritia ſtimulatus רץ אחריו, *currebat poſt eum*, cumque illum attigiſſet, Naaman יפל מעל המרכבה לקראתו *cecidit*, i. e. *demiſit ſe ex curru*, & OBVIAM PROCESSIT. En occurrentem perſequenti famulo Naamanem! Aliunde לקראת ſolet crebro adhiberi, ubi de diſponenda acie ſermo eſt. Ita Joab. 2. Sam. IX, 9. Syros coram, & a tergo inſtare Ammonitas conſpiciens, ſtruxit aciem לקראת ארם *contra Syros*, & לקראת בני עמון *contra Ammonitas.* Legentium oculis talia innumera obvolitabunt. Quapropter tandem extra hæſitationem ponimus, Herodotum errantem in Megidduntis vicem collocaſſe Magdolum; Magdolum vero oppidum in tribu Menaſſitarum quærendum.

§. X. Quæ hucusque diſputavimus, ut ut lucem dicendis plurimis in locis affundant: ipſum tamen noſtræ Orationis Scopum recte non feriunt, quo demonſtrandum ſuſcepimus, quænam ſit illa CADYTIS Herodoto appellata magna Syriæ civitas. Conſulenti Virorum doctiſſimorum meditationes, dicrepantes admodum obvenere Sententiæ, & promendæ, & ſuis librandæ examinandæque ponderibus. 1) *Simſonius* Vir valde doctus in Chron. Cathol. An. 3392. per Κάδυτιν intelligit CARCEMISCHUM, (כרכמיש) ad quam expugnandam Nechao profectus fuerat: unico ut puto fretus argumento, quod Nechao poſt prælium cum Joſia conſertum *Carcemiſchum* occu-

passe legitur collat. loc. 2. Chron. XXXV, 20. cum Jerem. XLVI, 1. 2. Verum admodum male. Nam *α*) *Carcemisch* exstructa erat על נהר פרת ad fluvium Euphratis Jerem. XLVI, 2. At *Cadytis* urbs dicitur Syriæ Palæstinæ. *β*) *Carcemisch* Regi Assyriorum parebat 2. Reg. XXIII, 24. at *Cadytis* Palæstinis. *γ*) Nullibi *Carcemisch* CADYTIOS nomine venit, nec nomina ita conveniunt, ut unum alteri originem dedisse censeri posset. *δ*) *Carcemisch* CIRCESIUM esse Castellum ad confluenda Euphratis & Chaboræ situm Viris doctissimis non sine ratione creditur; Nam & nomine conveniunt, & כרכמיש *Castellum*, vel *munimentum* sonat. Non tamen derivamus cum Cl. Clerico ex כרך Cerach loco munito, & מיש q. d. a מוש *remotum esse* quasi significet Φρέριον ἐσχατον, ut a Procopio denominatur, sed a כרך & ממך *miscere*, q. d. *Castellum permixtionis*, *confluentiæ*, sc. fluminum Euphratis & Chaboræ. Simili occasione urbs Germaniæ in angulo Rheni & Mœni sita denominationem *Confluentiæ* accepit. Jam vero Herodotus *Cadytin Sardibus* non minorem facit, de Castelli Circesii magnitudine nemo veterum simile quid perscripsit. *ε*) Denique argumentum Simsonianum nullo fulcro innititur: quandoquidem Nechao in expeditione illa plura expugnare potuit oppida, quæ tum pro tot *Cadytibus* essent habenda.

§. XI. 2) Cl. Clericus in *Commentario ad libros Historicos Vet. Test.* statuit 2. Reg. XXIII. Κάδυτιν ab Herodoto vocari urbem nobilem Galilææ superioris, quæ קדש *Kedesch* aut *Kadesch* dicebatur, juxta quam Nechaoni transeundum fuerit, ut circumiret

Ju-

Judæam, Syriamque ingrederetur, & tum ad ortum deflecteret. Quæ tamen opinio examen non sustinet. *α*) קדש *Cedesch* urbs tribus Naphtali & Galilææ in finibus Palæstinæ Boream versus reperiebatur, at *Cadytis* longe alium, diversum, & e regione oppositum situm obtinebat. *A Phœnicia*, inquit Herodotus, *usque ad montes urbis* CADYTIS, *Syrorum Palæstinorum Regio est.* Intererat igitur inter Phœniciam & Cadytin Palæstina: Atqui Kedesch inter & Phœniciam nihil interponebatur, quia ipsos Palæstinæ fines, qua Phœniciam respiciebat, attingebat. *β*) *Kedesch* Galilææ oppidum ea non pollebat magnitudine, ut ulla ratione cum *Sardibus*, quemadmodum *Cadytis*, comparari potuerit. *γ*) *Kedesch*, Autoribus, qui illius meminerunt, scribitur *Κέδεσς*, *Καδὴς*, *Κέδασα*, nunquam *Cadytis*. *δ*) Herodotus occupationem *Cadytios* urbis, ut præclari quid memorat: Sed quoniam plurima loca Kedesch similia imo longe majora erant, non video, cur hujus expugnationem imprimis retulisset Herodotus.

§. XII. 3) Doctissimus Perizonius in *Orig. Ægypt.* pag. 417. plane oppositum intelligit Clerico locum, sc. *Kadesch*, in deserto *Kadesch barnea*, quod Australe Palæstinæ latus claudebat. Ait enim ex *Kadesch*, facillime formari *Cadytin*, *Cadesch* urbem fuisse magnam, sitam ad montes supra Arabiam, ab ea incipere urbes Arabum versus mare mediterraneum. Quam speciosæ licet sint rationes, in iis tamen haud acquiescimus. 1) Herodotus affirmat prælio cum Syris confecto *Cadytin* cepisse Nechaonem; conflixisse vero Megiddunte, supra de-

mon-

monstravimus. Nulla vero vel saltem probabilis causa assignari aut excogitari potest, cur post prælium Nechao regressus *Cadesch-barneam* in potestatem redegerit. Erat oppidum nullis munitionibus firmatum, in cujus expugnatione nihil omnino magni aut gloriosi peragebatur. 2) Magnam fuisse *Cades barneam* asserit Perizonius, & cum Sardibus æquandam. At sine fundamento asserit, quia de illius magnitudine ne γρυ quidem Sacra Scriptura commemorat. Ne addam, non satis exploratum esse, num *Cadesch barnea* omnino fuerit oppidum, an tantum desertum sic denominatum. 3) Herodotus meminit ὀρέων τῶν Καδύτιος πόλιος, *montium urbis Cadytis*. Montes Cades barneæ, quantum scio, nullibi occurrunt. 4) Herodotus describens integram Palæstinæ longitudinem, inquit: *Ab urbe Cadyti Emporia quæ mari adjacent, esse ditionis Arabicæ, ad Jenysum urbem usque.* Jam a *Cadesch-barneah* ad *Jenysum* non solum nullum datur Emporium maritimum, sed *Jenysus*, quam *Gazam* fuisse evicimus, longe supra Cadesch sita est, quod scopo Herodoti plane adversatur. 5) Nominis *Kadesch* & *Cadytis* convenientia sola pro argumento æstimari nequit, quia tunc æque vera foret Clerici sententia. 6) Denique, quia Perizonius Megidduntem in finibus Palæstinæ locat, necessum est, si Cades barneam occupavit Nechao, illam in via ex Ægypto proficiscentibus in Palæstinam obesse. Id vero negamus, quoniam nimis a Philistæorum finibus, per quos iter fieri solet, remotum est oppidum ac desertum Cadesch barneah.

§. XIII. 4. Clariss. Relandus, ut propius Nechaonis

nis iter attingat, *Gath* Philistæorum intelligit, *Palæstinæ* p. 668. At Viro eruditissimo assensum præbere non possumus. 1) Quia Herodotus montes Cadytios nominat, de montibus vero Gath nihil omnino liquere, ipse fatetur. Nam hæc urbs in exiguo colliculo sita, planitie undiquaque cingebatur. 2) *Gath* ab Autoribus in *Gittam* & *Gettam* mutatur, nunquam in *Cadytin*. 3) Herodotus pronunciat, post prælium cum Syris Nechaonem cepisse Cadytin. Prælium vero Megiddunte iniit, Gathum a tergo longo intervallo relinquens. Quæro itaque, cur illud oppidum antea in itinere non occupavit? Et cur regressus est, ut occuparet? Quo in negotio Gath iram Nechaonis excitavit? Harum spero rerum mihi nullam posse sufficientem dari causam & rationem, si per Cadytin Gath intelligatur. 4) Denique nego, Gath urbem magnitudine cum Sardibus certasse.

§. XIV. Hactenus contra Viros eruditissimos inviti, sed non invita veritate, pugnavimus. Nunc tandem quæ sentiamus, de *Cadyti* magna Syriæ urbe promamus. *Cadytin* esse HIEROSOLYMAM, urbium Palæstinæ maximam & splendidissimam, certissime persuasi sumus, nec soli tamen, sed post Conringium, Ligtfootum, Cellarium, Vitringam, quorum nomina sequi honori nobis ducimus. Verum quia hic non Autoritatibus, sed argumentis certandum, eorum copiam proferemus. 1) Herodotus *Cadytin* appellat *urbem magnam*, πόλιν μεγάλην, Σαρδίων ἐ πόλλῳ ἐλάσσονα, *Sardibus haud multo minorem*. SARDES urbium Lydiæ Metropolis, & olim regum potentissimorum sedes, singulari magnitudine

ce-

celebrantur, κατ' ἐξοχὴν Magnarum Epitheton adeptæ. Strabo lib. XIII. *Sardes urbs est magna.* Ovid. Metam. XI. 137.

Vade, ait, ad magnis vicinum Sardibus amnem.

Cum hisce itaque *Sardibus* non Kedeſch, non Kadeſch barnea, non Gath, imo nulla urbium Palæſtinæ præter ſolam eamque unicam *Hieroſolymam* conferri meretur. 2) Herodotus addit, Nechaonem victoria parta *Cadytin* cepiſſe. Dignum hoc erat memoratu, quia primas inter Judææ civitates tenet Hieroſolyma. Cauſam expugnatæ Cadytios præterit Herodotus, e ſacro vero codice clare percipitur. Proficiſcebatur Nechao per fines terræ S. bellum illaturus Regi Aſſyriæ, ſeu potius Babyloniæ, qui tum temporis erat Nabopolaſſar, pater Nebucadnezaris, & Aſſyriæ dominabatur. 2. Chron. XXXV, 10. Victorem extitiſſe Nechaonem non ſolum ex Jerem. XLVI. apparet, unde colligitur eum *Carcemiſch* expugnaſſe, ibique præſidium ſuum collocaſſe, ſed etiam ex illa actione, quam ab Euphrate rediens in Judæa effectam dedit, quæ Victoris erat. Nam Joſiam in itinere ſibi adverſantem interfecerat. At populus ejus filium Joachaſum in Solium regium evehebat. Quod ægre ferens Nechao, utpote ſe inſcio factum, Hieroſolymam occupavit, Regem Joachaſum depoſuit, exacto trium menſium regno (tanto enim tempore Nechao aberat) & ſuffecit ejus fratrem Eliakimum, quem mutato vocavit nomine Jehojakimum. Habemus Cadytin occupatam, habemus cauſam occupatæ Cadytios. Legatur 2. Chron.

XXXVI,

XXXVI, 1. 2. 3. 4. 3) Herodotus montium Urbis Cadytis meminit, quo Charactere luculento Hierosolyma aperte innuitur. Nam non tantum montibus notissimis Zioni, Moriæ, Acræ erat inædificata, sed montibus undiquaque cincta, & ab ea montana Judæ longissima serie Austrum versus se extendebant, quæ ipsa partim sub montibus Cadytios urbis censeri posse haud dubitamus. 4) Herodotus asserit, *a Phœnice, usque ad montes Cadytis Syrorum Palæstinorum esse regionem.* Sic est, erant quippe montana Judæ pars Australis terræ sanctæ, inter quæ & Phœniciam Palæstina concludebatur.

§. XV. Superest Dissertationis nostræ pars potior, quo pacto CADYTIOS nomen *Hierosolymæ* competat. Non curamus leves nonnullorum allusiones *Cadytin* dictam vel קריחתא *Kadichtha* vel קידתא *Jakidtha* combustam: in hisce scilicet solidi nihil inesse, primo intuitu quivis animadvertet. Alio, quam factum est, modo procedemus & ita hoc nomen dilucidabimus, ut nihil difficultatis aut caliginis relinquatur. Principio monendum ΚΑΔΥΤΙΣ non una ratione pronunciari. Quod est Herodoto Κάδυτις, idem Stephano est Κάλυτις, & Κάνυτις, & Κάρδυτος. Quatuor vero hæc vocabula unam eandemque denotare urbem, facile ostenditur. Nam ad Κάλυτις notat Stephanus: Κάλυτις πόλις Συρίας. Ἡρόδοτος δευτέρᾳ. *Cadytis urbs Syriæ, cujus Herodotus secundo libro meminit.* Atqui Herodotus illic Καδύτιος urbis Syriæ meminit, nullius *Calytios.* Ad Canytis Stephanus habet: Κάνυτις πόλις Συρίων μεγάλη, ὡς Ἑκαταῖος Ἀσίᾳ. *Canytis urbs magna Syrorum, ut in Asia de-*

scri-

scriptione ait Hecataus. Idem offendimus Epitheton *Cadytios* apud Herodotum. Ad Cardytos Stephanus: Καρδυτὸς πόλις Συρίων μεγάλη, ὡς Ἑκαταῖος ἐν περιηγήσει Ἀσίας. *Cardytus urbs magna Syrorum, ut ait Hecataus in descriptione Asiæ.* Haud ergo discrepat *Cardytos* a *Canyti* & *Calyti.* Insuper nobiscum sentientem habemus magnum Bochartum qui ad Stephani Κάλυτις notavit: *At Herodoto, quem citat, Κάδυτις dicitur, & infra videtur dici* Κάρδυτος. Itidemque Clar. Relandum, cujus testimonium haud parvi æstimo: in Palæst. p. 669. ubi, recensitis, quæ adduximus nominibus, addit: *Quid si hæc omnia sint ejusdem urbis nomina?* Miror tamen, cur illi Viri doctissimi cum dubitatione quadam pronunciaverint, cum res omni caligine careat. Jam quod sit ex quatuor illis vocabulis verum nomen, nunc non disputamus, perinde enim nobis est, & vera lectio aliunde patefiet.

§. XVI. Ligtfootus *Cadytis* appellationem a קדושה *Sancta* derivat, sic ait Oper. Tom. II. p. 408. *Vocatur Hierosolyma vulgo* קדושה Cedufcha, SANCTA. *Moneta Judaica ubicunque dispersa hunc titulum urbis enuntiavit. Jam vero cum Syrorum Dialecto usitatissimum foret* ש *in* ת *commmutare, quam facile erat apud eos, atque apud exteras gentes eos imitantes, Cadyscha, in Cadyta & CADYTIS transire, ut* חדשא, *Chatascha,* חדתא *Chtadtha nova.* Hunc plurimi lubentes sequuntur. At Cl. Relandus injicit, omnino debuisse vocem עיר *urbis* addi. Ad quod excipere possem, revera a Judæis, qui linguam suam intelligebant, עיר vocabulum *urbis* esse additum, adeo

adeo ut Hierosolymam nunquam קדושה *Caduscha*, sed עיר קדושה *Ir Caduscha* vocarint: id tamen ut ab Herodoto fieret necesse non erat, quia linguam ignorans, thema *Ir Keduscha* priori voce per errorem truncare potuit, quomodo *Hierosolymam* prioribus ademtis Syllabis Scriptores peregrini *Solymam* vocitarunt. Porro Cl. Relandus monet, nomen *Urbis sanctæ*, utpote non proprium, sed epitheton illius urbis, non solere ita usurpari ab Historicis. Sed respondemus, *Hierosolymam* etiam nomine proprio קדש *Codesch* appellari, i. e. *Sanctitas*. Id num tempore Herodoti in usu fuerit uti est incertum, ita certissimum, & nunc & longo ante tempore Urbem sanctam hoc nomen gessisse. Testes sunt Golius in Lexico Arabico, & notis ad Alfraganum, idemque qui composuit Lexicon Orientale, vir magnæ eruditionis Herbelotius, qui ad vocem *Cods* sic observavit: *Vocabulum Cods* (קדש, Codesch) *adhibetur etiam emphatice* (κατ' ἐξοχὴν) *pro nomine Urbis Hierosolymæ, propter Sanctitatem templi.* Jam vero a *Codesch*, quanta facilitate deflectatur *Cadytis*, non opus est, ut pluribus moneam. Hæc sufficerent, ostendendo, objectiones Relandianas pondere destitutas non adeo stringere, ut quidem ipse opinatur. Nos tamen rem aliter aggrediemur.

§. XVII. *α*) HIEROSOLYMA vocatur Daniel. IX, 24. עיר קדש, Ir Codesch, Urbs Sanctitatis, & quidem nomine proprio. עיר posse abire in ער Ar, ex plurali ערים Arim, & nomine ער, Ar, urbe Moabitarum (de qua vid. Rel. p. 577.) liquet. ע Litera frequentissime perit. Dicatur itaque pro *Ir Codesch*, *Ar*

 Co-

Codeſch; Transponamus unam literarum C. Habebimus ſeriem Etymologicam nominum ſeſe mutuo generantium *Carodeſch*, *Carydes*, *Carydis*, *Calydis*, *Canytis*, *Cadytis*. Hæc omnia ſic poſſe deduci, fatebuntur omnes, quibus nota eſt affinitas literarum R, & L, & N, & D. Nec id nolo exemplis urgere, quod Bochartus, Thomaſinusque innumeris in locis probatum dederunt. β) Non hic ſubſiſto. Nihil video abſurdi cur *Hieroſolyma*, ut עיר קדש ita non æque קרת קדש, vel קרית קדש appellari potuerit, utrumque quippe urbem Sanctitatis denotat. Hoc ſonabit *Kirjat Codeſch*, illud *Kereth Codeſch*, vel Kartha Codeſch. Ejecta Syllaba media *Co*, remanet *Karthadeſch*, *Cardyteſch*, & *Cardytos*. Nec ſine exemplo mediam Syllabam expulimus. Idem enim factum in Καρχηδὼν, quod ſcribendum Καρθαχηθὼν, ab Hebr. קרתא חדתא *Cartha chatdha*.

§. XVIII. γ) Progrediamur porro. Montem Zion, primariam Urbis Hieroſolymæ partem, & conſequenter ipſam Hieroſolymam עיר דויד *Ir David* propria appellatione eſſe inſignitam nemo negaverit, qui legerit 2. Sam. V, 9. & alia loca innumerabilia, ubi id nominis obvenit. Pro *Ir David*, ſubſtituamus *Ar David* ער דוד, & ע mutemus in G, tum in C, tum in K, & legamus Hebraicæ קר דוד ſine vocalibus adſcriptis: audiemus *Kardut*, tum *Cardyt*, denique CARDYTOS. Quod ſi vero nimis dura alicui videretur mutatio ע in ק, quamvis non ſit inſolens, ille pro עיר aſſumat vocem קרת, vel קרית, ex loco Jeſ. XXIX, 1. קרית חנה דוד, *urbs qua habitavit David*; Habebimus iterum vel *Kartha dud*, vel *Karth dud*,

&

& tandem CARDYTOS, adjecta terminatione Græca. Sic ex hac intricata Etymologia emersimus, salvatis lectionibus Herodoti & Stephani, quarum optimam reor esse illam ΚΑΡΔΥΤΟΣ, & hinc Etymon plenarie satisfaciens, quod illud vocabulum derivat a עיר דוד vel קרת דוד.

§. XIX. Adsunt nonnullæ objectiones, quæ tamen, opinor, nobis parum nunc negotii facessent, quibus solutis, depugnatum erit. Primam opponit Perizonius Orig. Ægypt. p. 417. *Neutiquam esse verisimile, Hierosolymam a Gentibus finitimis & inimicis, Nomine, quod Sanctam notet, tanquam proprio maxime insignitam.* Ferit hoc telum Ligtfootum ejusque asseclas, qui a sola Sanctitate Cadytios vocem advocant: Nos vero qui aliter statuimus intactos prætervolat. Quapropter clypeum hic ut opponamus minime opus foret. Quandoquidem tamen & ipsi etymon a *Sanctitate* deductum depromsimus, imbecillitatem objectionis ob oculos ponamus. Negamus a Gentibus *Cadyti* urbi nomen esse impositum: nec enim sequitur, quia Gentilis Herodotus eam sic nominat, ergo a Gentilibus appellationem hanc accepit: q. vero non soleant exteri urbium nomina ab indigenis data usurpare; Nam & nos Romam dicimus, & Carthaginem, & Coloniam Agrippinam propriis, non a nobis inventis nominibus. Si vero a Judæis Sanctitatis epitheto est honorata, id multo minus Gentibus obstitit, ne illud repudiarent. Nam vel intellecta est Gentibus notio Cadytios vel non est intellecta. Si non, cur nomen urbis proprium mutassent, aut rejecissent. Si vero, nec tum non ad-

hibuissent; quia nomina urbium, quæcunque demum sint, non solent odii aut invidiæ gratia rejici, & ipsum Hierosolymæ nomen Græce (licet erronee) expositum Sanctitatis includit significatum, nec tamen a Gentilibus repulsum legitur. Alteram item sagittam Pharetræ Perizonianæ excipiamus. *Nusquam alibi Hierosolymam legi Cadytin dictam.* Imo vero dictam esse quam creberrime, supra evicimus. Emittatur tertia: *Montes urbis Cadytis, & ipsam urbem prope Arabiam collocari, Hierosolymam vero longius ab Arabia remotam.* Ita ait Herodotus: *A Cadyti, emporia maritima, usque ad urbem Jenysum ditionis sunt Arabicæ. Jenysum* cum *Gaza* eandem esse supra diximus. Maritimæ urbes inter Hierosolymam & Gazam erant Ascalon, Majumas & Anthedon. Eas ditioni Arabicæ adscripsit Herodotus nostra sententia, quod alienum videtur. Observandum vero Arabiam nonnunquam adeo late Scriptoribus extendi, ut mari Phœnicio (cui adjacebant illa emporia) clauderetur. Nearchus in Periplo p. 38. Τὰ δὲ ἐν δεξιᾷ τῆς ἐρυθρῆς θαλάσσης ὑπὲρ τὴν Βαβυλωνίην Ἀραβίη ἡ πολλή ἐστι. Καὶ ταύτης τὰ μὲν κατήκει ἐπὶ τὴν θάλασσαν τὴν κατὰ Φοινικήν τε καὶ τὴν Παλαιστίνην.. i. e. *Quæ regio sita est ad dextram maris rubri ultra Babyloniam, Arabia magna ex parte est, cujus quidem portio pertingit* AD MARE PHOENICES *ac Syriæ Palæstinæ.* Debemus hoc testimonium Cl. Relando. Præterea observandum accolas maris Asphaltitis sub Arabibus censitos, & ipsum mare Arabiæ attributum esse. Hinc Hieronymus Cardianus Historiarum scriptor ab Antigono missus

ad

ad lacum Asphaltiten, ut bitumen colligeret, cum ſuos prope omnes JACULIS ARABUM confixos amiſiſſet, re infeliciter geſta rediit. Quocirca luculenter apparet, qua ratione Arabiam ab urbe Cadyti Herodotus incipiat. Nam Hieroſolyma interjacet media inter mare Phœnicium & lacum Asphaltitem; præterea *montana Judæ* pro ipſis illis montibus Cadytios haberi poſſunt: denique ſi quid ab Herodoto hic non admodum accurate ſcriptum quis æſtimet, haud injuriam ei fecerit, cum Geographia illius temporis maximis erroribus ſit infecta.

§. XX. Cl. Relandus urget, *Herodotum deſcribere oram maritimam*, in qua non fuerit Hieroſolyma. Id vero nego feciſſe Herodotum: ita inhæret litori, ut mediterranea non negligat, & ſi ſtrictiſſime oræ maris inſiſtendum, quid cum Relandi *Gath*, quam pro Cadyti celebrat, fieret, quæ profecto ſatis longo ſpatio a mari remota non majori quam Hieroſolyma jure pro Cadyti eſt habenda. Inſuper illud littus montibus omnino carebat, & tamen *montes Cadytios* memorat Herodotus; Claudebant vero montana Judæ totum illud latus, quod mare mediterraneum ſpectabat. Denique inquit Vir doctus: *Si Cadytis fuerit Hieroſolyma, non neglexiſſe Herodotum mentionem templi, aliorumque operum ſtupendorum.* Itane? Quid ſi hic invidiæ ſtimulo exagitatus Herodotus Gentilis tacuiſſet? Sed & quæritur, an omnino viderit Hieroſolymam? Et ſi vidit, nonne ſatis laudato titulo *μεγάλης πόλιος, Σαρδίων ȣ πολλῷ ἐλάσσονος* honorat. Nec ubivis puto Herodotus Topographum agit, ſed Hiſtoricum; nec neceſſe eſt, ut

qui urbis meminit, etiam operum illius stupendorum, templorum &c. mentionem faciat, nec etiam illi Scriptores omnes, qui Hierosolymæ fecerunt mentionem, templi injecerunt mentionem, quod exemplorum copia possem demonstrare, nisi ad Dissertationis meæ finem adspirarem, postquam, ut opinor, satis evici, per CADYTIN, *Magnam Syriæ Urbem*, ipsam urbem sanctam, πόλιν ἁγίαν, HIEROSOLYMAM, Palæstinæ Metropolin, Orientis urbium clarissimam, & non aliam esse intelligendam.

Cap. VI.

QUO JUDÆORUM IN REBUS ANTIQUITATIS IMPERITIA, EORUNDEMQUE CRASSISSIMA MENDACIA DETEGUNTUR; ALIORUM QUOQUE ERRATA HINC INDE EMENDANTUR ILLUSTRANDÆ ANTIQUITATI SACRÆ.

ARGUMENTUM.

Quo loco Judaicæ *traditiones* habendæ? non admittendæ sunt sine examine § I. Error Judæorum in definienda *crassitie* auri, quo Tabernaculum obductum, ostenditur. §. II. Aliud commentum in monstrosa *propitiatorii* densitate detegitur. §. III. Commentum aliud in falsa *Labri* positione §. IV. Aliud in *Candelabri* aurei altitudine. §. V. Ingens mendacium de crassitudine *Tabularum* legis §. VI. Num *gemmis* templum intus splenduerit. Lundio nævus abstergitur. §. VII. Num in templi pavimentum *exspuere* licuerit. §. VIII. An Christus ad *Sanctitatem* templi alluserit Matth. X, 9. 10. §. IX. Canon Judaicus, de *Summo Pontifice* artibus illiberalibus dedito non constituendo

do exploditur. §. X. Pontificem S. nocte diei expiationum a somno prohibitum, mendacium Talmudicum. §. XI. *Misericordia* Judæorum perstringitur. §. XII. Contradictio Judaica. An damnatis *Myrrhæ* portiuncula data? §. XIII. Absurdissimus *lapidandi* modus ex Judæorum traditionibus. §. XIV. Conclusio. §. XV.

§. I.

ERuditorum natio in duas potissimum Sectas circa Judæorum scinditur traditiones: nonnulli eas penitus explodendas, & ut fabulas ac mera commenta rejiciendas esse, alii autumant e regione, easdem valde in honore habendas, utque monumenta de rebus antiquissimis veritati consentanea ubique assumendas esse, siquidem ex illis sacri codicis loca difficillima feliciter expediri, & obscura claro lumini exponi queant. Nos neutri accedimus. Omnia Judæis tradita repudiare, æquitati pugnaret; nulla, sanæ rationi. Non enim necessum est, ut, qui semel mentitus est, semper mentiatur: nec prudentiæ, ut quem aliquoties in aperto mendacio deprehendimus, illi omnia credamus. Itaque medium tenemus. Credimus Judæis, sed & num quæ tradunt veritati consentiant, examinamus. Illi vero si repugnent æque ac rationi, quis tandem traditionibus omnibus æqualiter fidem adhibendam censeat? Id vero criminis sæpius Judæis commissum, nonnullis hoc capite exemplis comprobabimus.

§. II. Jussit Deus T. O. M. tum nonnulla sacri Tabernaculi instrumenta ex auro solido confici, tum alia auro obduci. Obducebantur arca fœderis, exce-

pto operculo, ara aurea, asseres tabernaculi, alia. Quanta crassitie fuerit aurum, quo hæc vasa integebantur, a Scriptura nullibi, a Judæis ut plurimum determinatur: ubi vero non determinatur, Judæi nobis suppeditant aureum *Canonem* in *Gemara Schabbath*, cujus beneficio (modo unum sciamus) omnia definire possumus. Nempe דנין כלי מכלי, i. e. *de uno vase ac instrumento noto concludunt & colligunt ad aliud ignotum.* Sic tum tradunt in *Gem. Chag. fol.* 27. aurum quo tectum erat ara interior, crassum fuisse *Denarium* (דינר) possemus, secundum *Canonem* jam traditum, si nihil præterea diceretur, de auri obductorii crassitie scire, & reliqua vasa auro denarium crasso esse intecta. Arridet hoc nonnullis, sed Lundii testimonio contenti erimus, Antiq. p. 4. Die Bretter wurden auf allen Seiten mit Gold überzogen, nicht zwar auf die Weiße, wie man heute ein Ding übergüldet, da nichts mehr dann ein Schaum vom Golde ist, sondern sie wurden mit güldenem Blech oder güldenen Platen auf allen Seiten bedecket und beschlagen. Invidiosa propositio. Quasi vero aurum, quo hodie vasa obduci solent sit spuma, & non potius aurum purissimum in tenuem laminam expansum. Sed negotium lance veritatis trutinemus. Longum erat *tabernaculum* cubitos XXX. altum X. Cubitus æquat digitos XXIV. Itaque in longitudine erant digiti 720. in altitudine 240. Hisce in se ductis proveniunt digiti quadrati 172, 800. quot continebat exterior superficies lateris unius tabernaculi Borealis vel Australis. *Denarii* crassities fere eadem est ac *Ducati*. Ducatus licet minor sit

digi-

digito quadrato, ex ſuperfluo demus, Ducatum exacte æquari digito. Tot ergo Ducatos habemus, quot digitos exterioris ſuperficiei unius lateris, ſcil. 172, 800. quibus duplicatis emergunt digiti 345,600, vel tot Ducati. Jam Talentum aureum Hebraicum (ככר) pondo 90. ſuperat, ſi cum accuratiſſimo *Eiſenſchmidio* quantitatem illius aſſumimus, & circiter 11520. Ducatos comprehendit.

Hisce in numerum ſuperiorem diviſis proveniunt

```
  3
3 4 5 6 0 0 | 30
3 3 5 3 2 0 |
  1 1   5   |
```

Talenta 30. & quod excurrit: impenſa in obductionem unius lateris. Atqui univerſa auri ſumma nondum adæquabat Talenta 30, ut diſerte Scriptura Exod. XXXVIII, 24, Univerſa, inquam, auri ſumma, impenſa in omnia tabernaculi vaſa non ſuperat Talenta 30. Juxta Judæos vero unicum latus tabernaculi tot conſumſit, quapropter aut reliqua latera & vaſa non fuiſſe vel inaurata vel aurea ſtatuendum, aut illam auri jactatam craſſitiem ſacris Oraculis repugnantem perabſurdam frivolamque Judæorum eſſe fictionem: ὅπερ ἔδει δεῖξαι.

§. III. Proponamus aliud exemplum. *Operculi* arcæ fœderis (כפרת, ſeu PROPITIATORII vulgo dicti) *palmarem* fuiſſe *craſſitiem*, a Rabbinis audacter aſſeritur, fretis pulcherrimo ſuo *Canone* הגין כלי מכלי, i. e. *quia limbus menſæ aureæ palmum erat altus, ergo & operculum.* Nam Scriptura nihil omnino de hujus corpore. At Jarchius ad Exod. XXV, 17.

ואף על פי שלא נתן שיעור לעוביה פירשו רבותינו שהיה עביה טפח: i. e. *Quamvis Scriptura non exposuerit quantitatem densitatis illius operculi, Rabbini tamen nostri explicant, quod fuerit densitas ejus* PALMUS, *seu palmaris.* Id passim a nostris ceu verum admittitur, Hinc Lundius p. 33. Muß ein schweer Stück Gold gewesen seyn von dritthalb Ehlen Länge, anderthalb Ehlen breit, und einer flachen Hand dick, sonderlich, weil auch Cherubim darauff gewesen. Imo profecto tam grave fuit hoc Judaicum operculum, ut a nemine, credo, nec auditu in posterum toleratum iri persuasus sim. Assumamus iterum mensuram ab *Eisenschmidio*, qui eam longa experientia accuratissime definivit. *Operculum* in longitudine palmos 15. vel 60. digitos, in latitudine 9. palmos vel 36. digitos juxta Scripturam, in altitudine, secundum Judæos, palmum seu 4. digitos tenebat. Digitis hisce in se ductis, corpus prodit Parallelepipedum 8640. digitorum cubicorum. Jam operculum integrum auro solido constabat. Cubicus vero auri pollex experimento exploratus supra 12. Uncias pondere æquat. Demus ergo, ne nimis dixisse videamur, libræ duos digitos cubicos, emerget gravitas solius operculi, demtis Cherubinis, plusquam 4300. librarum. Atqui jam diximus ex Exod. XXXVIII, 24. Summam auri universi in omnia Tabernaculi instrumenta insumti fuisse *Talenta 29.* cum quibusdam Siclis. Talentum vero Hebraicum non superat pondere libras 50. quibus per 29. multiplicatis, proveniunt Talentis auri pondo 2610. quæ a solius operculi numero longissime vincuntur: cui propterea vix

ac

ac ne vix quidem dimidii digiti craſſities eſt attribuenda. Accedit inſuper, vectes tot mille librarum gravitati ſuſtinendæ extitiſſe impares, utpote ex tenui ligno, & tenui auri lamina confectos, neque tot homines, quod ad hoc onus portandum ſuffeciſſent, ſc. ſupra 100. in vectibus habuiſſe locum, ut alia vehementer incommoda prætercam. Quapropter & hanc *traditionem* Judaicam, utpote Scripturæ, veritati, & ſanæ rationi contrariam, confictam & in cerebro perforato Judaico natam, conſequenter abſurdiſſimam eſſe ſtatuimus. I. Q. E. demonſtrandum.

§. IV. Aliud Commentum promamus. Deus jubet, ut LABRUM כיור inter oſtium tabernaculi & altare exterius conſtituatur Exod. XXX, 18. *Conficies Labrum æneum, illudque pones* בין אהל מועד ובין המזבח *inter tentorium conventus & inter altare.* Idem exacte feciſſe Moſen notatur Exod. XL, 30. At Judæis aliter ac Deo videtur. Nam ſic ratiocinatur Jarchius ad locum Exod. XXX. citatum: ובין המזבח ET INTER ALTARE] *illud eſt altare holocauſtorum, de quo ſcriptum,* (Exod. XL.) *quod fuerit locatum ante oſtium tabernaculi, quapropter* LABRUM *fuit pauliſper retractum, & conſtitutum erat e regione illius ſpatii, quod erat inter altare & tentorium, nequaquam vero diſtinguebat inter hæc duo: quia dicitur:* (Exod. XL, 29.) *Et poſuit altare holocauſti ante oſtium tentorii conventus. Quaſi diceret: Altare ſit ante tabernaculum, non autem labrum.* Sic docetur in *Zevachim.* Idem Lundio non diſplicuiſſe video p. 170. Es ſtund aber dieſes Handfaß zwiſchen der Stiffts

Stiffts-Hütte, oder dem Heiligen und Altar, Exod. XXX. Und zwar wie Lyra wol erinnert, (aus den Jüdischen traditionen) nicht gerade zwischen dem Heiligen und dem Brand-Opffer-Altar, sondern etwas zur Seiten nach der rechten' oder gegen Süden zu. Pondus ratiocinii Judaici hoc fundamento innititur, quod Scriptura alibi dicat, *altare* fuisse ante *ostium tabernaculi*, non vero posse *labrum* & *altare* simul fuisse ante idem ostium. En argumentum invictum & ἀπόρθητον, quo inducamur ad clarum Dei pronunciatum rejiciendum, qui diserte mandat, ut *inter tentorium & aram statueretur* labrum, non *retraheretur versus meridiem:* at Judæus, nequaquam inter tentorium & aram, sed versus meridiem. Si hæc sibi non contradicunt, nihil omnino sibi unquam contradicet. Unum ergo falsum pronunciemus necesse est. Dum altare dicitur statuendum ante ostium, nihil aliud præcipitur, quam ut illud e regione illius ostii ponatur. *Labrum* ergo non obsistebat, quo minus hunc situm ara haberet. Ergo & *labrum* esse poterat inter tentorium & aram, & tamen ara ante ostium tabernaculi. Sic inter Sanctissimum & Sanctum dependebat velum. In Sanctissimo erat arca fœderis, in Sancto ara aurea: Ita ut velum interesset inter arcam & aram, & tamen jubetur Moses ponere aram לפני ארון העדה *ante faciem arcæ fœderis* Exod. XL, 5. Itaque rursum patet, *situm labri* משוך לפי דרום *protractum versus meridiem*, ut a Scriptura alienum, inane Judæorum esse *figmentum*, consequenter cum sibilo excipiendum & explodendum. I. Q. E. D.

§. V.

§. V. Moses CANDELABRI *aurei* altitudinem nobis non revelavit. Ergo *Jarchius* nos doceat, Rabbinorum doctissimus, & maximæ Autoritatis, qui definit *Candelabri altitudinem* ad Exod. XXV, 35. *Palmorum octodecim.* Palmi 6. cubitum efficiebant, consequenter Lychnuchus altus cubitos tres, i. e. humanæ staturæ non admodum mediocri æqualis. *Lychnuchus* vero ille cum omnibus instrumentis suis ex uno auri talento parabatur. Exod. XXV, 37. 38. 39. *Septem facito lucernas, tum emunctoria, πυρεῖα vel trullas* &c. *ex auri talento facito Candelabrum cum omnibus instrumentis istis.* Nos vero ex liberali manu concedemus Candelabrum solum talento constitisse. *Talentum*, ut supra vidimus, absolvitur libris 90. Auri libra ad quantitatem æqualem redacta digito cubico includitur, & quod superest. Ergo Corpus ταλαντιαῖον solidum non multum superabit 4. digitos in longum, latum & profundum. Cubitus unus comprehendit 24. digitos. Ergo tres 72. digitos. Atqui digitis cubicis 90. talentum integrum absolvitur. Quocirca clarissimum est, cum 6. Rami ex lateribus Candelabri emerserint, & crassities digito tenuior statui vix possit, absurdissimam esse illam altitudinem 3. cubitorum, cum veritate, & structura *Lychnuchi* nullatenus conciliandam. I. Q. E. D.

§. VI. Ad aliud properemus. TABULAS binas *legis* ex lapide structas fuisse tradit Scriptura, de magnitudine silet. Ne vero putes ideo Judæos etiam siluisse; nam ubique loquuntur, quando Oracula divina tacent, ne aliquid ignorare videantur. Itaque docent nos, *Tabulas* longas fuisse 6. palmos, seu

cu-

cubitum, totidem latas, & tres crassas, i. e. dimidium cubitum. Testimoniorum nubem citavit Cl. Relandus Antiq. p. 45. Lapis cubitum longus & latus, itidemque dimidium crassus, cujuscunque demum sit soliditatis, si minimum dicere volumus, pondere 5. centenarios æquat: & sic duæ tabulæ 1000. pondo tenuere. At vero Moses non solum manu portavit tabulas; & ob idololatriam populi excandescens projecit, sed & confregit. Quis vero æquus lector mecum hæc perpendens, & ad animum revocans, non obstupescat? Vel enim statuendum, Mosen viribus & robore *ἄλλως πεντήκοντα, οἷοι νῦν βροτοί εἰσι* superasse, ut pondus 1000. librarum ceu levem festucam vel arundinem sustulerit, & projecerit: vel tabulas longe fuisse minores & tenuiores, quod verissimum, quia alterum veritati pugnat. Consequenter densitas illa tabularum legis *mendacium mendaciorum*, & sanæ rationi intolerabile. I. Q. E. D.

§. VII. Delapsi sumus ad Antiquitates. Argumentum jucundum & usu haud cariturum. Quare in iis paulisper pergamus, detergendis aliorum nævis. Templum Salomonis intus non solum auro, sed & *gemmis* multis, & *pretiosis lapidibus*, iisdemque rarissimis resplenduisse, non una vice *Lundio* traditur. Audiamus eum p. 260. **Es wurden auch diese güldene Wände hin und wieder mit den theuresten, schönesten und raresten Edelgesteinen allerhand Farben reichlich besetzet, daß es überall in diesem Gemach von Gold und Edelsteinen funckelte.** Tria hujus rei gratia citat loca, quorum primus *1. Reg.* VI, 16. habet, *domum intus Cedris con-*

ta-

tabulasse Salomonem; alter v. 20. & 29. *ipsum parietes*, *& solum auro obduxisse*; uterque (uti nec caput integrum) de *gemmis* nihil. At tertius 2. *Chron.* III, 6. habet: *Contexit*, *conclusit domum* (ויצף את הבית) LAPIDE PRETIOSO *ad ornatum.* (אבן יקרה לתפארת) Qualis hic est *lapis pretiosus*? Num *gemma?* Adamantes, Pyropi, Hyacinthi, Rubini? Scriptura sibi ipsi lucem accendat. 1. *Reg.* V, 31. ita differit de *lapide* hoc *pretioso: Mandatu Regis advexerunt* אבנים גדולות LAPIDES INGENTES (saxa) אבנים יקרות *lapides pretiosos*, *quibus fundamentum domui substerneretur*, *lapides nimirum excisos* אבני גזית. Et clarius Cap. VII, v. 9. *Omnes illi lapides erant* יקרות, PRETIOSI, *juxta mensuram lapidum cæsorum* ——. *Fundatum erat templum hisce lapidibus pretiosis*, *iisque ingentibus*, *lapidibus cubitorum decem*, *& cubitorum octo*. Exinde discimus, domum universam, fundamentum, & ejus omnia constitisse *lapidibus pretiosis*, qui magnitudine *decem cubitos* vel *octo* æquabant. Quod si hic gemmas intelligere velimus, existimandum, *gemmas* ætate Salomonis, nostri Sæculi illas immani intervallo post se relinquere. Nos itaque, qui id credere nolumus, per lapides pretiosos in Structura templi adhibitos intelligimus *marmor*, vel ejusdem generis lapides alios, duros, politos.

§. VIII. Judæi in tractatu *Berachoth* se valde sollicitos ostendunt, circa *sanctitatem* templi, & loci, in quo extructum erat, conservandam. Tradunt enim, *in montem domus*, (הר הבית) dictum vulgo atrium gentium, *nemini licuisse intrare cum baculo*, *cal-*

calceis, Zona pecuniariæ, pulvere pedibus adhærente, aut per id viæ compendium facere, vel ſputo illud conſpurcare &c. Judæos talia ſcripſiſſe non miramur, Chriſtianos pro veris accipere valde miramur: & non ſolum pro veris accipere, ſed exinde etiam loca ſacri codicis illuſtrare. Adeone cordi erat templi ſanctitas Judæis, Judæis, inquam, quibus Salvator mundi exprobrat, illos templum Dei convertiſſe in ſpeluncam latronum? Si Sacerdotibus integro die miniſtrantibus, ſi aliis per aliquot horas in monte domus ſubſiſtentibus expuere non licebat, quorſum igitur expuebant? Sed quid dicemus: *Pecudes avesque* magno numero in templo vendebantur, horum vero ſtercore & excrementis nonne templum fœdabatur? Utrum *ſputum* hominis puri fœdius eſt pecorum ſtercoribus? Chriſtus quidem vendentes & ementes templo expulit: at Judæi, qui venditionem & emtionem permittebant, id ægre tulerunt. Hinc legitur alicubi in Toſephot Jom thobh: *Veniens quadam die Bava ben Butha in atrium, vacuum pecoribus illud reperit. Deſolentur, inquit ille, domus eorum, qui deſolatam reddiderunt domum Dei noſtri. Accerſivit ter mille oves, ex ovibus Cedar, & poſt examen, an absque labe eſſent, eas induxit in montem domus.* En reverentiæ Judaicæ luculentum exemplum. Sputum excernere prohibebant, qui pecorum fimo Sanctum deturpare pulcrum æſtimabant? Præterea ſi non licebat *Zonam pecuniariam* inferre, cur ſedebant in templo *nummularii*, quos Chriſtus etiam expulit. Nummi ſunt Judæorum Idolum. Credo eos facilius & potius templum non frequentaſſe,

taſſe, quam ſemper zonas pecunia refertas depoſuiſſe.

§. IX. Num vero ex hoc Judaico figmento locus *Matth.* X, 9. 10. illuſtrari poſſit, paucis diſpiciamus. Chriſtus Apoſtolos XII. emiſſurus, ut gentibus prædicarent Evangelium, inter alia præcepta, quæ illis injungit, hæc addit: Μὴ κτήσησθε χρυσὸν, μηδὲ ἄργυρον, μηδὲ χαλκὸν εἰς τὰς ζώνας ὑμῶν. Μὴ πήραν εἰς ὁδὸν, μηδὲ δύο χιτῶνας, μηδὲ ὑποδήματα, μηδὲ ῥάβδον. *Ne acquiratis aurum, aut argentum, aut æs* (nummos æreos) *in zonas veſtras. Nec peram vobiſcum in viam aſſumite, aut duo veſtimenta, aut calceos, aut baculum.* Ait quidam *Vir doctiſſimus*, hoc in loco, mutata per Meſſiæ adventum rerum facie, *reverentiam* ante monti Templi debitam, toti terræ Iſraeliticæ communem reddi. Nollem hoc Viro, quem magni facio, excidiſſe. Nam principio Chriſtus ipſe longe aliam rationem ſui præcepti reddit, quam ille ex falſiſſima Judæorum traditione. Non ait, ne capiatis peram, aut baculum, quia ſancta propter adventum meum eſt tota terra Iſraelitica. Sed, *nolite peram ſumere, aut pecuniam, quia dignus eſt mercede ſua operarius.* Deinceps, quamdiu Chriſtus diſcipulis in terra præſens erat, ſingularem eorundem curam gerebat: at mox mortem ſubiturus, hoc ipſum, quod dederat præceptum revocat Luc. XXII, 35. *Dixit JEſus diſcipulis: Quando miſi vos ſine marſupio, & pera, & calceis, num aliqua re eguiſtis? Reſponderunt: Nulla. At nunc, regerebat Jeſus, qui habet marſupium, & peram, ea accipiat, & qui non habet, emat.* Patet hinc longe aliam eſſe verborum rationem, quam reverentiam templi uni-

G ver-

versæ regioni communicatam. Christus enim hoc præscripto ipsam illam venerationem terræ Israeliticæ iterum abstulisset, cum e contrario notissimum sit, post mortem Servatoris sanctitatem antea templo propriam, ubique terrarum locum habuisse. Præterea quædam Servator addit v. 9. Matth. X. quæ nullo pacto templum respiciunt, ut ut *Canoni* Judæorum fidem non denegaremus. *Ne* ACQUIRATIS *vobis aurum aut argentum.* Quid hoc ad templi sanctitatem? Si Judæis templum frequentantibus, pecuniam secum portare non permittebatur, an ideo interdictum erat, ne pecuniam *acquirerent*? minime putem. Christus vero non prohibet saltem pecuniam *secum ferre*, sed etiam *acquirere*. Unde tandem nihil veri & hanc Judaicam traditionem habere, luculenter docemur.

§. X. R. Moses ben Maimon tractatu *de Regibus* Cap. I, 6. hanc regulam proponit: *Non constituunt Summum Pontificem, qui fuerit Lanio, aut Tonsor, aut Balneator, aut Coriarius. Non quia illi profani, sed ne forte, cum ipsorum negotia sint contemtui, populus eos semper aspernetur. Quin ex quo quis operatus est in istis negotiis unum diem, profanus vel eo ineptus est.* Cui bono hic *Canon?* In V. T. constituta bene Republica Sacerdotium alligabatur familiæ *Aharonicæ*, cujus cognati & affines sordidis negotiis nec implicare se volebant, nec debebant, nec poterant. Tempore N. T. Romani & Herodes quemcunque ex *plebe* in illam dignitatem evehebant, adeo ut nonnullis Seniores necesse habuerint dicere: *Lege tu ipse* (Scripturam) *forsitan oblitus es, aut fortean nunquam* di-

didicisti; de quibus testatur Josephus, nescivisse τί ποτε ἦν Ἀρχιερωσύνη, *quid tandem esset Sacerdotium.* Profecto tunc *Coriarius* a Judæis non fuisset spretus, modo legere scivisset.

§. XI. Summum Pontificem nocte diem expiationis antecedente non debuisse dormire, in *Joma* traditur Capit. I. *Septem diebus ante diem expiationis separant Sacerdotem magnum a domo sua, & deducunt ad Conclave Parhedrin in templo &c. Non arcebant eum a cibo potuque toto hoc septem dierum spatio, vespera autem diei expiationis post exortas tenebras non permittebant eum multum edere, quia cibus somnum inducit. Si dormire gestiebat, juniores Sacerdotes percutiebant coram eo digito indice, dicebantque ei: Domine Sacerdos magne! sta super pavimentum, eumque occupatum tenebant, donec appropinquaret tempus mactandi sacrificium juge.* Causa hujus rei erat, ne Sacerdos in somnum delapsus, se pollueret, & ad ministerium ineptus redderetur. Inane hoc esse commentum, & in feraci mendaciorum Synagoga enatum, hinc patet. 1) Quia S. Scriptura nihil omnino hujus rei præcepit. 2) Quia *Josephus* contrarium verbis apertissimis testatur *Antiq.* 17. 8. *Matthias Summus Pontifex ea nocte, quæ præcedebat jejunii diem, visus est sibi PER SOMNIUM cum uxore congredi, & cum ad rem divinam faciendam, ob hoc non esset idoneus, Josephus Ellemi filius vice ejus sacrum obiit munus propter cognationem.* Exemplum hoc ipsi *Talmudici* afferunt in *Megill.* Cap. 1. fol. 72. col. 1. uti videre est apud Seld. de Success. & sic turpissimo modo sibi ipsis contradicunt, obliti

Canonis, *Mendacem oportere esse memorem.* Nam vel affirmandum Matthiam vigilando somniasse, quod ridiculum, vel Judæorum hanc παράδοσιν absurdam contradictionem, quod verissimum existimamus. U. E. D.

§. XII. Judæi valde *misericordes* videri volunt. Quapropter in Codice *Sanhedrin* sic sanciunt Cap. VI. §. 1. *Confecto judicio damnatum educunt* &c. *Unus officialium stat ad ostium curiæ, tenens manu Sudarium: unus item equo insidens, tantum inter ipsum & se intervalli relinquit, ut commode videre eum possit. Tum si quis se offerat, qui damnatum insontem esse, doceat; iste sudarium quatit: eques concitato cursu damnatum retrahit. Quin etiam si ipse quid pro sua innocentia ostendenda se habere asserat, quater quinquiesve reducitur dummodo in verbis ejus sit solidi quippiam. Si hoc modo innocentia ejus comprobetur, liberum demittunt.* Quis non exclamet, hæc legendo: Judæorum gentem omnes alios populos æquitate & justitia longe superasse! Verba bona sunt, quibus facta nunquam respondisse puto. Contrarium testatur *historia Evangelica.* Quod si hæc lex vigebat, cur eadem in Christo, in Stephano, in Paulo, in aliis infracta. Ex tota illa historia abunde patescit sanguinarius Judæorum animus, qui innocentum cæde mire delectabatur. Nihil illis traditionibus simile reperies. Quapropter & hanc inanem esse gloriationem, & jactationem Judæorum, qui dum justitiam præ se ferebant, minime justi erant, certo statuimus.

§. XIII. Sed & aliunde commentitia hæc miseri-

cor-

cordia quaſi fulmine proſternitur, & culmine ruit. Extat in *Sanhedrin* fol. 43. traditio. *Qui exit ut occidatur, potant eum grano thuris in poculo vini, ut diſtrahatur mens ejus.* Ne ſcilicet nimio ob inſtantem mortem horrore correptus, animo deficeret. Idem Salomoni *Proverb.* XXXI. præceptum, idemque in Chriſto Salvatore uſurpatum, haud exiguus eruditorum numerus ſancit. At nobis plane aliter videtur. Salomon *Siccram* quidem aut *Vinum* pereuntibus, vel triſtitia obrutis ſubminiſtrare jubet, omiſſa *Myrrha* vel thuris portiuncula. At Chriſto Servatori perditi homines ἐσμυρνισμένον οἶνον, *Myrrhatum* dederunt vinum guſtandum, non legi, ſed vindictæ ſatisfaciendæ. Quid enim fuerit illud vinum *Myrrhatum* Matthæus exponat, ἔδωκαν αὐτῷ πιεῖν ὄξος μετὰ χολῆς μεμιγμένον, *dederunt ipſi bibendum acetum felle permixtum.* Nempe vinum in acetum degeneraverat, & myrrha amarore fel longe ſuperarat. Ea potio Chriſto exhibita, non more laudabili Judæorum, ſed implendæ prophetiæ Pſ. 69. *Dederunt in cibum meum* ראש ABSINTHIUM, *& in ſiti mea potarunt me* חמץ, ACETO. Quod ſcelus Pſalmiſta non commemoraſſet, ſi morientibus potio myrrha infecta communiter fuiſſet propinata. Sed ad rem. Hebræi, inquam, tradunt damnatis *mentem* vino *myrrha* infecto *obſopitam*, tradunt vero etiam, ut §. antecedente docuimus, damnatum, ſi quid pro ſua proponendum haberet innocentia, *quater* vel *quinquies* reduci. At quid? *mente alienatus* quo pacto innocentiam ſuam defendere poterat? Num poſtquam vinum Spiritus animales obnubilaverat novæ

ſubveniebant cogitationes innocentiæ declarandæ idoneæ? Qui damnabatur Synedrio Judaico, vel *jure* ſupplicio addicebatur vel *injuria*? Si jure, quid tandem *Myrrha inebriatus* auditu dignum dicere potuiſſet? Si injuria, cur hauſtu infecto intellectu privabatur? Apage hujuscemodi nugas!

§. XIV. Ad ſupplicium *lapidationis* paulisper animum attendamus, uti deſcribitur Sanhedr. Cap. VI. §. IV. *Locus lapidationis altus erat geminam hominis longitudinem. Teſtium alter inde reum detrudebat, ut in lumbos caderet. Si converſus in pectus eſſet, in lumbos convertebatur. Hoc caſu mortuus ſi eſſet, ſatisfactum legi. Si non: alter lapidem (ingentem) ſublatum in pectus immittebat. Si hoc ictu moreretur, ſatisfactum. Si non: a toto Iſraele lapidibus cædebatur.* Non vidimus, qui contra hunc proceſſum dubium moverit; cum noſtram ingentes pungant difficultates mentem, quas ordine enarrabimus, ut appareat hanc traditionem non ſacro codici innixam, ſed plane oppoſitam eſſe. Principio *locum* lapidationis altum fuiſſe & geminam hominis ſtaturam æquantem, ubinam, quæſo, diſcimus? Non *blaſphemus*, nec *Achan* Sacrilegus, nec innocens *Naboth* legitur in collem deductus? Imo *Zachariam* in atrio lapidibus obruerunt, & *Chriſtum* in templo Saxis proſternere volebant. Num in atriis templi monticulus extabat, unde reus detruderetur? Quemvis locum huic pœnæ aptum ex omnibus hiſtoriis patet. 2) At pergit traditio: *De colliculo ſontem detruſum, legique, ſi obiiſſet ſatisfactum.* Hæccine divinis Oraculis conſentiunt? Illa ajunt:

ajunt: *Educant blasphemum, & lapident cœtus universus*, Levit. XXIV, 14. Idemne est lapidibus ferire, & de saxo præcipitem dare? Ubinam vero *præcipitandum* jubet Sacra Scriptura lapidibus interficiendum? Aliud erat facinus *Nazarenorum*, JEsum de rupe dejicere volentium, aliud Judæorum lapides, percutiendo JEsu, e templi pavimento sustollentium. Sed nec ullum præcipitatum legimus, & contrarium disertissime docet historia *Stephani* protomartyris. Ille enim, lapidibus obruendus θεὶς τὰ γόνατα, *in genua procubuit*, demisit se in genua. At quomodo *demisit* de monte deturbatus, & ingentis pondere saxi statim oppressus? Impugnant circumstantiæ hujus martyrii universam Judaicam traditionem, cum tamen ex lege & more solito *Stephanus* pœnæ subdebatur. Nam *testes* aderant. 3) Porro quomodo legi satisfactum fuisset reo ex præcipitio mortuo, nullatenus comprehendo. Ubique in Sacris universus cœtus jubetur lapides in peccatorem ejaculari, ubique universus cœtus manus lapidibus admovit. Quod si suffecisset *præcipitatio*, quo jure vocaretur *lapidatio*, quacum nulla re conveniebat. Aliud est de fastigio depellere, aliud lapidibus ferire. 4) Præterea additur: *Alter testis lapidem pectori injiciebat, satisfactumque legi, si exinde fuisset mortuus.* At aliter Scriptura Deut. XVII, 7. *Manus testium primo in illum sit, & manus totius populi deinceps.* Conjunguntur testes & populus. Testes initium dabant supplicio, populus complebat. Quomodo igitur satisfactum legi, sola testium opera. Aliud profecto sonant verba Deut. XXI, 21.

Fi-

Filium rebellem obruent omnes viri urbis ejus lapidibus. Hinc ſequitur, formam *lapidationis* a Rabbinis in Talmude præſcriptam, nihil aliud eſſe præter inſulſam fabuloſarum circumſtantiarum farraginem. Q. E. D.

§. XV. At nauſea me horum capit mendaciorum. Aperiant tandem aliquando Eruditi, quibus traditiones Judaicæ immenſæ ſunt venerationi & autoritati, mentes & oculos, & quantum iis credendum, ſedula dexteritate examinent, ne in errorem pertrahantur. A nemine quippe Chriſtianorum mihi negabitur, Sacra Volumina, poſt interfectum crudeliter Judæorum furore JEſum, iis ipſis Judæis, duplicato Moſaico velo, ne veritatem internoſcerent, evaſiſſe ὀσμὴν θανάτου εἰς θάνατον, odorem peſtiferum ad mortem. Ut parum veri ab illis ſperare poſſimus. Nos vero elaboremus, ut ſanctum DEI verbum nobis ſit ὀσμὴ ζωῆς εἰς ζωὴν, odor vitalis ad ſempiternam vitam.

ΔΟΞΑ ΘΕΩΙ.

II.

HERM. CONRINGII
ASSERTIO JURIS MOGUNTINI IN CORONANDIS REGIBUS ROMANORUM. (*)

ARGUMENTUM.

§. 1. *Scripti occasio.* §. 2. *Præmittuntur tria monita; quorum I. est, de distinguenda corona Regis Romanorum & Cæsarea.* §. 3. *II. de variis coronationis actibus, unctione, benedictione, impositione Coronæ & Sacrificio.* §. 4. *III. de consecrationis officio nulli, præter primarium regni præsulem competente.* §. 5. *Probatur* 1) *omne Jus coronandi competere Moguntino, ratione Primatus.* §. 6. 2) *Non interrupta* 800. *annorum consuetudine ipsi mansisse integrum.* §. 7. 3) *Coloniensi non competere aliquod Jus coronandi, nisi intra diœcesin suam.* §. 8. 4) *Et ne hoc quidem, nisi ex liberali concessione Moguntini, ubi simul disquiritur:* α) *an coronationes nusquam alibi rite quam Aquisgrani institui possint?* §. 9. β) *an Aquisgrani solus Coloniensis rite consecrare possit.* §. 10. *Origo Juris Coloniensis.* §. 11. *Respondetur singulis Coloniensium defensorum rationibus.*

§. I.

ILlustris est controversia, quæ hodie inter, duos Eminentissimos & summos Imperii E-

(*) Lucem conspexit primum A. 1655. impressa Francofurti apud Wilh. Serlin, & Georg Fickwirth in 4. Secutæ postea sunt duæ Editiones, quarum ultima auctior atque emendatior Helmstadii prodiit apud Henning. Müllerum 1664. in 4.

Electores Archiepiſcopos ac Principes Moguntinum & Colonienſem agitatur, de jure coronandi Regem quem appellant Romanorum. Moguntinus enim concedit quidem illam coronandi facultatem Colonienſi, ſi coronatio Aquisgrani aut intra Colonienſem diœceſin inſtituatur, alibi tamen ſibi ſoli eam vindicat. Ex adverſo Colonienſis omne hoc jus Moguntino denegat, tanquam ſibi uni omni loco & tempore debitum. Poſſit videri contentio de re levi: & vero non eſt in ea ſalus Reipublicæ collocata: attamen intereſt ipſius quoque Reipubl. ut ſua cuique dignitas, ſuum jus ſervetur, præſertim maximis Principibus; quod noceant ejusmodi injuriæ ſaltim exemplo, & iniquum ferendo licentiæ muniant quaſi viam. Principum ſane, Archiepiſcoporum cumprimis, in officio eſt, ſedis quemque ſuæ jura defendere; præſertim quum illa neutiquam ſint propriæ poſſeſſionis, quæ pro arbitrio liceat alienare vel negligere. Rogatus ſententiam non dubito cauſſam Eminentiſſimi Electoris Moguntini approbare, etſi & lecta & cum cura a me ſint expenſa, quæ ab adverſa parte hactenus ſunt edita. Idque inductus rationibus validis quammultis: quas proinde boni publici cauſa, procul odio & amore, in patrocinium recti atque æqui, producam in medium, ſermone nudo & ſimplici, ut eo promptius pateat aliis quoque veritatis inquiſitio.

§. 2. Antequam vero rem ipſam aggrediamur, majoris lucis ergo præmittemus nonnulla; quoniam & circa illa impingitur non vulgo tantum, ſed etiam ab iis, qui Eminentiſſ. Electorem Colonienſem defen-

fen-

fendere susceperunt; & tamen sunt ipsissima veri in hoc negotio fundamenta.

I. *Principio* igitur observandum est, Cæsares nostros non una corona insigniri solere. Cis. Alpes enim in Italia duplex ipsis corona competit, Romana altera, altera Longobardica. Trans Alpes plerumque non nisi una hactenus fecerunt sese coronari. Interdum tamen & Arelate alteram imponi sibi curaverunt. Conradus sane II. Burgundicam illam coronam accepit Anno 1033. & filium suum, qui Patri post successit, Henricum III. Anno 1038. eodem diademate ornari curavit: quod testatur Wippo in *vita Conradi.* (a) Fecit idem Fridericus I. qui ducta in matrimonium Beatrice Reimoldi (b) Comitis filia, *non solum Burgundiam sed & Provinciam, Imperio jamdiu alienatas, familiariter possidere cœpit:* ceu loquitur Otto Frisingensis *l. 2. c. 29. de gestis Frid.* Imo fecit illud Carolus IV. ut quidem memorat Christophorus Marcellus *Cæremonial. Romani l. 1. sect. 5. cap. de triplici Imperatoris corona.* Has inter coronas tamen sola Romana vere Cæsarea est, h. e. vere competit Cæsari in quantum est Imperator Romanorum. Idque solent ipsimet Cæsares nostri publice profiteri, electos Cæsares sese appellantes, quamdiu corona ista non sunt insigniti, etsi in Germania coronati jam fuerint. Ut merito mireris, vulgo passim, imo a Viris quoque doctis, Cæsareæ co-

(a) Ad A. 1033. p. 438. & ad A. 1038. p. 442. S.

(b) Sive Reinaldi. S.

coronæ nomine usurpari illam quæ in Germania confertur, contra publicam Cæsarum & spontaneam professionem, ne alia nunc tangam. Illa vero quam Germania exhibet corona, olim quidem, pene usque ad seculum Christianum duodecimum, audiit corona Regni Francorum: inde frequentius dici cepit corona Regni Teutonici, (quomodo eam ipse Frider. I. appellat in epistola ad Ottonem Frisingensem) aut Alamannici; posteaquam scilicet Galliæ regnum κατ' ἐξοχὴν sibi retinuit Francorum nomen, Germania Imperii Romani titulum, post obtentam Cæsaream dignitatem, subeunte. Plurimis id possit confirmari testimoniis veteris ævi, si opus sit. Imperium Francorum videlicet quod Caroli Magni cumprimis felicibus armis in vastam amplitudinem excreverat, quamvis post Ludovicum Pium inter hujus filios tres in partes fuerit divisum, singulæ tamen partes aliquamdiu Francorum commune nomen retinuerunt. Præcipue vero ita diu audiit, præter Gallicum, regnum Germanicum quod Ludovico, Ludovici Pii filio ejusque posteris cessit, cum pars, quæ Lothario obtigerat, Regnum Lothariense seorsim usurparetur. Et vero populi Germanici Franci orientales sunt dicti, ut Gallici Franci occidentales. Unde jam olim scripsit Frisingensis *l. 6. c. 11.* Franciam orientalem comprehendere præter Franciam, proprie sic dictam, Bavariam, Sueviam, Saxoniam, Thuringiam, Frisiam. Imo & ipsum Lotharingiæ regnum in Francorum regni commune nomen receptum est, postquam in unam rempublicam cum Germanicis illis Provinciis coiit, & Reges Germanicos

ac-

accepit dominos. Hinc sane Ottoni Magno, etiam tum cum Aquis coronaretur in Regno Lothariensi, porrecto gladio acclamavit Moguntinus: *Accipe hunc gladium, quo ejicias omnes Christi adversarios, barbaros, & malos Christianos, auctoritate divina tibi tradita omni potestate totius Imperii Francorum.* (c) Et vero etsi Otto I. interdum in nonnullis tabulis, in regno Lotharingiæ editis, sese dixerit *Regem Lothariensium & Francigenum*, raro tamen id fecit, & post illum forte nemo Lothariensium Rex audiit. Quinimo ipsamet illa corona, qua hodieque coronantur Reges Romanorum, est illa qua coronati fuere Reges Germaniæ, nondum Cæsarea dignitate cum Germaniæ regno conjuncta. Nec enim alibi quam in Germania Transrhenana quisquam Regum a Ludovico Germanico usque ad Ottonem Magnum, qui primus maluit consecrari Aquisgrani, est coronatus; ceu infra probabitur. (d) Illi vero per manus, successori quisque suo, coronam cum aliis Regni insignibus tradiderunt. Certe Conradus I. coronam cum aliis insignibus Regiis, quibus ipse erat insignitus, ad Henricum Aucupem transtulit, ut patet ex Witekindo *l. 1.* Eckardo monacho Sangallensi *de casibus monasterii sui cap. 5.* Luitprando Ticinensi *l. 2. cap. 7.* Iisdem post inauguratum fuisse Ottonem Magnum Aquisgrani, ut & hujus successores, per sane est verisimile; cum abunde ex monumentis antiquis sit

(c) Verba sunt Witichindi Corbejensis l. 2. Annal. sub init. S.

d) §. 6.

sit manifestum quam superstitiose ad posteros illa fuerint translata, nec usquam fiat in iis mentio noviter paratorum insignium. Hoc fuit in antecessum primo loco monendum.

§. III. II. *Secundo* etiam id observandum est: solemnia coronationis variis actibus exerceri, inque his recepto more unctionem & benedictionem maxime sacerdotalis muneris esse. Impositio sc. coronæ etsi inter gentes Christianas plerumque a Præsulibus facta sit, interdum tamen etiam ab aliis est profecta, & quidem ab ipsis illis qui coronabantur. Sic Rigordus Philippi II. Galliæ Regis medicus testatur, Anno 1181. Philippum illum *imposuisse sibi secundo diadema.* Clarissime omnium id liquet ex iis quæ narrat Theganus *c. 6.* de coronatione Ludovici Pii quam instituit Carolus Magnus pater. Verba ejus infra adducemus contra illum ultimum partium Coloniensium defensorem. (e) Solet quidem hodie sacrificium quoque solemne peragi in coronatione Regia: verum in hac illud videtur etiam apud nos serius cœpisse seculo demum tertio decimo. Et vero habemus sic satis accurate descriptas ceremonias coronationis Aquisgranensis, cum Ottonis Magni apud Witekindum l. 2. tum Wilhelmi Hollandi apud I. Bekam *Chronico Episcopor. Ultrajectinor. in Ottone Episcopo XXXVI.* nulla tamen facta sacrificii ut partis solemnium mentione. De Rudolphi I. autem inauguratione agens Joan. Aventinus l. 7. Annal. ita scribit: *Rudolphus accersitus Aquasgraneas in templum dedu-*

(e) §. 9.

(f)

ducitur. Pontifex Agrippinensis de eo Deum consulit. Id publicum deinde ac perpetuum Sacerdotium honoris gratia Agrippinensibus Episcopis fuit. Obscuriora quidem sunt illa Aventini: nisi fallor tamen, loquitur ille de Missæ solemnibus quæ hoc initio cœperint coronationis actibus adjungi. Etiam unctio fateor diu fuit inter Christianos populos ignorata in Regum inauguratione, alicubi nunquam recepta, alibi usurpari desita: in Francorum tamen regno obtinuit fere ab anno Christiano 750. quando Pippinus in hunc modum est consecratus: quem in Hispania jam cœpisse Reccaredo Rege, circa annum 586, per facit verisimile Joan. Jacob. Chiffletius *l. de Ampulla Rhemensi c.16.*

§. IV. III. *Tertio* id quoque notandum venit; ex quo unctiones & benedictiones sacræ apud Christianos populos cœperunt coronationibus Regum addi, illud officium consecrandi apud omnes populos quasi communi consensu primario præsuli esse commissum, nisi alicubi singulari aliquo privilegio interdum alii quoque id cesserit. Facile patebit illius pronunciati veritas, si oculos circumferas per omnem orbem Europæum. Et vero in hoc ipso ita nunc appellato Romano Imperio Italici Regni non nisi Archiepiscopus Mediolanensis; Imperii Romani proprie sic dicti coronationem sacram ipse Papa solet peragere. De primatu Præsulum Galliæ est quidem acris contentio: attamen certum est, inter omnes Archiepiscopos unum Rhemensem, cui ungendi Reges jus est & Ducem & Parem esse Franciæ; adeoque hactenus omnibus aliis præsulibus eminere. An-

selmus Cantuariensis jam circa annum 1103. in hæc verba scripsit ad Ernolfum Priorem: *Conqueretur Rex cum omnibus Episcopis & Principibus suis, quia (cum illum coronare nolo) aufero ei corona sua honorem, quem ei Primas Regni sui debet per consuetudinem.* Usque adeo profecto id passim est usitatum, ut alii rerum nostrarum non satis gnari, propter consecrationes Regias, quas frequentissime Coloniensis peregit, huic primum locum tribuerint. *Super omnes magnates* (scribit Matthæus Paris in *Chronico rer. Anglicar. ad annum 1257. pag. 633. edit. Parisiensis) supereminens est Archiepiscopus Coloniensis, qui coronare tenetur Regem Alemanniæ apud Aquisgranum, ab antiqua & approbata consuetudine.* Merito igitur dixeris jure gentium Christianarum primario Præsuli hanc dignitatem competere. Unde necessario sequitur: quicquid ab hoc communi jure atque more abit id fieri non nisi vi cujusdam privilegii. Nec vero sine causa ita in omni orbe Christiano Europæo invaluit. Jure enim utique id quod in republica & reipublicæ negotiis sacri est officii, maximum convenit illi qui inter sacros proceres est potissimus. Inæqualia enim inæqualibus deberi, illius juris est quod nobiscum nascitur omniumque mentibus natura inscribitur. Tum demum vero illud in hoc negotio rite observatur, quando sacer honor maximus attribuitur illi, qui inter sacros Reip. Principes maximus est.

§. V. Hisce in hunc modum præmissis, ut ad rem ipsam veniamus, non dubitamus in universum asserere: *Eminentissimo Electori Moguntino merito compete-*

tere ratione sui Primatus omne omnino sacrum illud coronandi jus: ex antiquissima octingentorum annorum amplius ac perpetua consuetudine illud jus ipsi hodieque esse integrum extra diœcesin Coloniensem: Coloniensi autem sedi, non nisi ex singulari privilegio, jus hoc convenire, idque duntaxat intra suam diœcesin. Probabimus autem hanc assertionem nostram per partes. Ac PRIMUM quidem, *ratione scil. Primatus competere Moguntino omne jus coronandi*, non amplius est difficile ostensu. Etenim jam tum demonstravimus: jure gentium Christianarum communi, & cui pro fundamento est, ut modo vidimus, ipsum naturæ jus, in universo orbe Europæo, ad illum, qui inter Præsules primum in regno quovis locum obtinet, jus coronandi spectare. Demonstravimus jam tum itidem: agi nunc non nisi de coronæ Regni Germanici, aut (ut cum majoribus loquamur) Regni Francorum collatione. Jam vero in Regno hoc Francorum Germanico inter Præsules ac Principes primatum etiamnum obtinere Moguntinam Sedem, nisi fallor, omni dubio caret. Habuit vero illa sedes hanc dignitatem ab initio usque Regni hujus. Statim enim, facta illa vasti Francorum Imperii anno 843. tres in partes divisione, Moguntinus Archiepiscopus concessit in ditionem Regni Francorum orientalis: Coloniensis autem ac Trevirensis anno demum 870. illi Regno accesserunt, cum ante fuissent partes Regni Lotharienfis: ceu alibi probatur. (f) Neuter vero eorum etiam post dubium fe-

(f) Tractatu de Finibus Imperii L. I. C. VII.

fecit Moguntino locum primum. Hinc jam Ottonis Magni ævo Moguntinus audiit summus Pontifex, Pontifex maximus; comparatione nimirum facta cum reliquis Regni hujus Præsulibus. Sane frequenter hæ appellationes occurrunt apud Witekindum, qui res Ottonis Magni calamo tradidit Scriptor σύγχρονος. Sequenti seculo decimo Marianus Scotus *l. 3. ætat. 6.* scribere non dubitavit: *Post Papam secundus habetur Moguntinus Archiepiscopus usque in hodiernum diem.* Iste itaque in Regno Germanico primatus Moguntini Archiepiscopi cum itidem careat dubio, jam sole meridiano clarius manifesta est utique veritas pronunciati mei. Et vero hoc jus ex primatu isto competere Moguntino, jam tum olim profecto non fuit ignoratum. Hinc jam Witekindus l. 1. de Henrico I. verba faciens notanter scripsit: *Cumque ei offerretur unctio cum diademate a summo Pontifice qui eo tempore Herigerus erat*, &c. Benedictus VII. Papa in litteris quibus Willigiso Archiepiscopo pallium contulit, addit hæc verba: *Quocirca uti eo* (pallio scil.) *memineris; sicut prædecessores nostri tuis prædecessoribus concesserunt; servanda duntaxat privilegiorum tuorum integritate, quo in tota Germania & Gallia, post summi culmen Pontificis, in omnibus Ecclesiasticis negotiis, id est in rege consecrando & Synodo habenda, cæteris omnibus tam Archiepiscopis, quam Episcopis, Apostolica autoritate, sicut justum & rectum esse videtur, præemineas.* Moguntinus ipse hoc primatus jure fretus ægre quondam permisit a Coloniense consecrationem regiam institui etiam intra ejus diœcesin

cesin Aquisgrani. Diserte Lambertus Aschafnaburgensis presbyter, scriptor, prout illis temporibus, prudens, peritus & disertus, ac præter hoc candidus, (per injuriam enim Coloniensis defensor fidem ejus vocat in dubium) ad annum 1054. *Imperatoris filius Henricus consecratus est in Regem Aquisgrani ab Herimanno Coloniense Archiepiscopo, vix & ægre super hoc impetrato consensu Lupoldi Archiepiscopi, ad quem, propter primatum Moguntinæ Sedis, consecratio Regis & cætera negociorum Regni dispositio potissimum pertinebat.* Sed de priore satis.

§. VI. II. Pergimus ad SECUNDUM; nempe *nunquam interrupta, atque adeo perpetua, octingentorum annorum consuetudine, jus coronandi per universum Regnum hoc, una excepta Coloniensi diœcesi, Moguntinæ Sedi hactenus mansisse integrum.* Facillimum vero hoc quoque est demonstratu: quippe quum & Defensores Colonienses Regum neminem ex omni ævo potuerint producere (debuissent autem producere, quum idem, quod hic nos, ursisset Eminentiss. Elector Moguntinus) qui fuerit coronatus a Coloniensi extra ejus diœcesin: & quisque possit, evoluta Regum Germanicorum historia, veritatem pronunciati nostri sine labore assequi. Reges cum desint, ad fœminas confugientes, unam jactitant illi Defensores coronationem Elisabethæ, conjugis Alberti I. Austriaci: hanc enim coronatam esse a Coloniensi Norimbergæ astante Moguntino. Neque nos negamus id factum esse. Sed factum est singulari Moguntini consensu: prout non adeo pridem Eleonoram Ferdinandi II. uxorem Trevirensis coronavit, sed

ſed rogatus a Moguntino & hujus nomine, quia ipſe ſacris infulis non eſſet initiatus. Fuerunt autem ſic ſatis multi Germaniæ Regum extra Colonienſem diœceſin coronati. Germaniæ Regum inquam: nec enim de Cæſarea corona eſt quod nunc agamus, aut ſimus ſolliciti cum Defenſoribus Colonienſibus *pag. 46.* cis an trans Alpes poſt Lotharium Ludovicus II, Carolus Calvus, Carolus Craſſus & Arnolphus Cæſarea corona ſint inſigniti. Nemo vero Regum ante Ottonem Magnum Aquiſgrani, aut alibi cis Rhenum, legitur coronatus. Ex adverſo, etſi monumenta vetera omnes coronationum illarum actus non ea qua par erat diligentia memoraverint, attamen conſtat Arnolphum Francofurti coronatum Regem anno 887. menſ. Novembri. Ejus filius Ludovicus videtur coronatus Forchemii. Ita enim ad annum 900. notat Regino: *Proceres & optimates qui ſub ditione Arnolphi fuerant ad Forcheim in unum congregati, Ludovicum filium prædicti Principis Regem ſuper ſe creant, & coronatum Regisque ornamentis indutum in faſtigio Regni ſublimant.* Aquisgrani certe a Colonienſe non potuit coronari, quod Regno Lotharienſi tum præeſſet Zuenteboldus, atque adeo Colonienſis haud numeraretur tum inter proceres Regni Francorum quod cedebat Ludovico. Hinc ipſe Regino ſtatim ſubjungit: *Dum hæc in Germania aguntur, &c.* Qui huic ſucceſſit Conradus I. fuit quidem *unctus in Regem*, ut loquitur Witekindus *l. 1.* Aquisgrani tamen itidem coronari non potuit; quod ſimulac obiit Ludovicus, Regnum omne Lotharienſe occupaverit Carolus ſimplex Gallus an-

anno 912. ut recte colligit Sirmondus. Hujus successori Henrico I. Saxoni, renuenti tamen, Moguntinus Herigerus, non Coloniensis (qui id nec potuit, tum adhuc imo & aliquamdiu post, donec inter Carolum & Henricum nostrum pacto omnia constituerentur, ceu liquet ex Capitulis a Sirmondo editis p. 442. hærens in ditione Caroli simplicis) anno 919. diadema atque unctionem obtulit. Diserte Witikindus l. 1. *Cum ei offerretur unctio cum diademate a Summo Pontifice, qui eo tempore Herigerus erat, non sprevit, nec tamen suscepit.* Dithmarus etiam l. 1. *Episcopalis unctionem benedictionis a Herigero Archiepiscopo exhibitam, antecessorum more priorum, non desideravit nec suscipere voluit.* Idem Dithmarus l. 5. de Henrico II. ita scribit: *Deindeque ad Mogantiam celeriter properando Rhenum securus enavigat. Hic VIII. Idus Junii ibidem, communi devotione in Regem electus, a Willigiso ejusdem sedis Archiepiscopo, suffraganeorumque suimet auxilio, coronatus.* Defensores Colonienses pag. 57. existimant, Henrici hanc coronationem potius causam Coloniensem juvare, quia eam irritam pronunciavit Coloniensis Heribertus, & Henricum coegit denuo coronam Aquisgrani accipere, idque astipulante Gregorio V. Papa. Verum esto, id fecerit Heribertus, & jure fecerit, (quorum neutrum concesserim): id tamen manet, Henricum fuisse unctum coronatumque extra Coloniensem diœcesin, non a Coloniense sed Moguntino, atque adeo hoc quoque exemplo constare; Coloniensi extra suam diœcesin nihil esse juris in coronatione. Henrici successor

pro-

proximus Conradus II. itidem Moguntiæ coronatus est & quidem ab Aribone Moguntino, uti refert Wippo. (g) Post hunc etiam Rudolphus Svevus, adversus Henricum IV. electus, Moguntiæ *consecratus est a Sigefrido Archiepiscopo in Regem*, ut loquitur Marianus Scotus *l.3.* Philippus Suevus itidem coronam accepit Moguntiæ, sed per Episcopum Tarentassensem, quod abesset domo Moguntinus. (h) Avorum & nostra memoria quinque ultimi Cæsares & denique nuperus feliciss. memoriæ Ungariæ Rex coronati itidem sunt extra diœcesin Coloniensem, itidem tamen non a Coloniense sed a Moguntino. Præter hos vero neminem reperias coronatum extra diœcesin illam. Ac proinde non est quod de secundi nostri pronunciati veritate quisquam dubitet. Observandum vero etiam atque etiam est, hasce co-

(g) In Vita Conradi ad A.1024. p.427. seq. S.

(h) Arnold. Lubec. L. VI. c.2. Impugnavit Innocentius III. P. hanc coronationem eo argumento, *quod nec ab eo qui potuit*, (Moguntino sc.) *nec ubi debuit*, (Aquisgrani) *fuerit coronatus*. v. Epistol. 21. p. 665. edit. Baluz. Notandum etiam, Philippum postea denuo coronatum fuisse Aquisgrani a Coloniensi, ceu testatur Godefr. Colon. ad A. 1204. Conr. Ursperg. & Chron. Mont. seren. ad A. 1205. De Coronatione duorum æmulorum Imperii, Ludovici Bavari & Friderici Austriaci, quorum ille Aquisgrani a Moguntino, iste vero Bonnæ a Coloniensi inauguratus est, ita censet Albertus Argent. ad A. 1313. p. 119. Ludovicum *in loco, quo debuit, sed non a quo debuit*; Fridericum vero *a quo debuit, sed non in loco in quo debuit* coronatum fuisse. S.

(i)

coronationesMoguntinum celebrasse,&Romanis Pontificibus, & Cæsaribus & omnibus Imperii Ordinibus, nemine excepto, approbantibus. Hoc sane est argumento, non exercuisse tantum illos actus Moguntinum, sed & summo jure, cui nemo potuit contradicere, exercuisse. Neque vel ipsi Colonienses illas Moguntinas coronationes accusaverunt, nisi quod olim interdum desideraverint in illis, quasi justo loco non fuissent institutæ. Ex quo sane illa superstitio desiit intra hosce centum annos, Moguntinas coronationes tanquam rite factas ipsi Colonienses probaverunt; nisi quod nuper admodum cœperint aliter opinari, ceu post apparebit clarius.

§. VII. III. Licet itaque jam tum TERTIO etiam affirmare, *Coloniensi non competere aliquod jus coronandi nisi intra diœcesin suam.* Hoc sane ultro sequitur ex iis, quæ jam probata dedimus. Si enim Moguntinus per octingentos annos amplius usque ad hoc tempus omnes coronationes extra Coloniensem diœcesin institutas peregit, utique (etiamsi nullo niteretur sedis suæ primatu) vel usucapione atque præscriptione sibi jus firmum certumque jam acquisivisset contra Coloniensem, etsi forte huic ex constitutione Caroli M. olim illud jus competiisset. Fuit vero etiam ipsorummet Coloniensium præsulum perpetuo eadem nobiscum sententia; nisi quod paucos cis annos illi cœperint omne omnino coronandi jus sibi solis simpliciter arrogare. Ita vero illos semper antehac sensisse, probare licet non uno argumento. 1) *Ac primum* quidem id palam est ex eo, quod nunquam (antehac quidem) fuerint usi ullo prætextu ad-

jus

jus suum constituendum, quo non simul involverint dioecesin. Antiquissimæ scil. de coronandi isthoc jure controversiæ illæ sunt, quæ circa inaugurationem Ottonis Magni, & denuo circa Henrici IV. coronationem fuerunt excitatæ. Utrobique autem Coloniensis non nisi ad suæ dioeceseos jura provocavit. De prima contentione agens Witekindus l. 2. diserte id narrat. Verba ejus sunt: *Et cum quæstio esset Pontificum in consecrando Rege, Trevirensis videlicet & Coloniæ Agrippinæ: illius quia antiquior sedes esset, & tanquam a B. Petro Apostolo fundata: istius vero quia ejus ad dioecesin pertineret locus; & ob id sibi convenire arbitrati sunt hujus consecrationis honorem.* In eandem sententiam disserit fere & Ditmarus l. 2. p. 75. Alteram contentionem narrans Lambertus prodit idem esse prætextum anno 1054. Integer locus hic est: *Imperatoris filius consecratus est in Regem Aquisgrani ab Hermanno Coloniense Archiepiscopo, vix & egre super hoc impetrato consensu Luitpoldi Archiepiscopo: ad quem propter Primatum Moguntinæ sedis consecratio Regis & cætera negociorum Regni dispositio potissimum pertinebat. Sed Imperator potius Hermanno Archiepiscopo hoc privilegium vindicabat, propter claritatem generis ejus, & quia intra dioecesin ipsius consecratio hæc celebranda contigisset.* Post secundam hanc contentionem magis quidem solito ad se traxere coronationis solemnia Colonienses, itidem tamen non alio prætextu quam illo quod Carolus Magnus instituerit ut omnis coronatio fiat Aquisgrani, atque ita consecrationes Regum a sese solis jure dioeceseos institui debere.

bere. Talia enim jactitari & passim persuaderi (non nisi per figmenta tamen) cœpere seculo duodecimo. Nec vero legere est quidquam aliud præter hæc duo ab Archiepiscopis Coloniensibus aut etiam aliis unquam per annos pene octingentos esse prætextum suo coronandi juri. 2) Patet illa perpetua ipsorummet Coloniensium sententia ex eo etiam, quod nunquam vel tentaverint Colonienses quemquam coronare extra suam diœcesin. Certe nemo vel conatus hujus exemplum aliquod adduxerit. Qui vero saltim non tentaverint tale quid Colonienses, invitati Imperii infinitis turbis, si existimassent sui juris esse passim locorum coronationes instituere? Certe, quas coronationes extra Aquisgranum instituerunt, vel Coloniæ peregere, ut factum in coronatione uxoris Conradi II. vel Bonnæ, quod observatum in Carolo IV. & Ruperto. 3) Adhoc etsi nonnunquam coronationes a Moguntinis peractas improbaverint Colonienses, semper tamen eo tantum prætextu id fecerunt quod illæ institutæ essent extra locum coronationi ab Carolo Magno dedicatum. Patet hoc ex ipsa nuperrima Coloniensium Defensione, & infra a nobis clarissime ostendetur. Tales vero querelæ demum cœperunt seculo duodecimo. Antehac certe nullum vestigium apparet querelæ alicujus, quasi non ad Moguntinum, sed ad sese solos jus coronandi pertineat. Imo vero omnes proceres Germaniæ antehac aliquamdiu uni Moguntino jus hoc coronandi adscripserant, ipse unus id exercuerat sic satis diu, nemine reclamante. 4) Palam denique est hæc sententia ipsorummet Coloniensium ex eo etiam, quod post jam

conditam auream bullam Carolinam curaverint, per Rupertum Cæsarem singularibus tabulis sibi conferri privilegium ac facultatem coronandi interdum extra Aquisgranum in diœcesi sua. Meminit hujus privilegii Hartmannus Maurus pene sub initium illius libri quo solemnia coronationis Caroli V. quam accuratissime persecutus est ad posteritatem. Non potuerunt profecto tale quid a Cæsare expetere, persuasi sibi jam esse fas, passim locorum coronationes instituere: Imo ne quidem temere permisissent, intra limites suæ diœceseos a Ruperto Cæsare se constringi, sed existimassent, hoc ipso sibi injuriam fieri, perinde atque hodie creditur. Certe quo tempore illam Ruperti bullam acceptaverunt, multum alieni fuere ab ea, quæ hodie placet successoribus, sententia. 5) Quid, quod ex illa Hartmanni Mauri historia constet, saltem etiam tum, quando Carolus V. fuit coronatus, creditum fuisse ipsismet quoque Coloniensibus, sibi intra suam tantum diœcesin jus esse, quem coronare? Obtulerunt enim Carolo illud Rupertinum privilegium, ut si forte Aquisgranum nollet proficisci luis grassantis caussa, saltim alibi intra diœcesin Coloniensem pateretur se coronari, quoniam id liceat ex Ruperti concessione. Neque vero Mauri testimonium in dubium vocare licet, cum ille fuerit tum a Consiliis Coloniensi Archiepiscopo, ac proinde omnium rerum maxime gnarus. Imo vero illa tempestate in vulgus fuit hoc decantatissimum, ceu apparet vel ex eo, quod Nicolaus Mameranus, illo ipso tempore historiam electionis & coronationis Carolinæ singulari libro narrans,

rans, in hæc verba erumpat. *Vere ſcribit Maurus, tres Archiepiſcopos Electores ſimul præſtitiſſe hoc officii*(coronæ ſcilicet impoſitionis,) *quanquam ad ſolum Colonienſem ratione prærogativæ ſuæ ditionis, in qua Aquisgranum eſt, ſpectare perhibeant.* Hæc ille. Quibus jungenda, quæ habet Albertus Cranzius *l. 8. Saxon. c. 21.* Saltim igitur ad illa usque tempora habemus conſentientes nobis Colonienſes. Quin dixeris, etiam diu poſt in eadem illos manſiſſe ſententia: utpote cum in ſubſequentibus coronationibus non illi Moguntino ſuas vices commiſerint, aut diſerte prodiderint ſibi ſolis ubivis locorum jus coronandi competere, etſi haud ignorarent, Moguntinum nolle videri vicaria poteſtate fungi. Hi ſane actus luculento ſolent eſſe indicio conſenſionis. Nec vero quod fecerint ſibi nonnulli Præſulum Colonienſium caveri aliquomodo, id diſſenſionem ſignificat, ceu infra apparebit. Unus hic perpetuus ipſorummet Colonienſium conſenſus ſatis eſt probando juri Moguntino, & decidendæ integræ controverſiæ. Ceſſat enim controverſia, ſi, ipſis Colonienſibus fatentibus, extra diœceſin nihil habeant juris in conſecrandis Regibus. Certe heri & nudius tertius demum nata diſſenſio cedere debet perpetuæ aliquot ſeculorum conſenſioni.

§. VIII. IV. Et vero ea eſt ratio etiam illius juris coronandi quo gaudet Colonienſis ſedes in ſua diœceſi, ut ipſa quoque longa conſuetudine potius & liberali conceſſione Moguntinæ ſedis nitatur, quam ullo juſto titulo alio, id quod QUARTO loco obiter a nobis jam demonſtrabitur. Nihil videlicet eſt falſius

sius duobus illis, quorum prætextu Coloniensis jus aliquod coronandi ante aliquot secula sibi acquisivit in sua diœcesi. Est autem alterum horum: *Quod ex Caroli M. instituto coronationes Regiæ Aquisgrani duntaxat possint rite institui*; Alterum: *Quod ejusdem Caroli lege & Canonum institutis Regem Aquisgrani soli Coloniensi consecrare fas sit.* I. *Primum* sane illud, quod jactitavit olim Coloniensis, *Caroli Magni lege institutum esse ut coronationes omnes Aquisgrani instituantur, ac proinde alibi non posse institui legitimas coronationes*, inanis fabula est. Esto enim, ita constituisse Carolum. Lex utique illa fuerit positiva. At vero non potuit Carolus positivam condere legem quam in perpetuum teneatur respubl. observare. Nulla lex positiva adeo certo obligat: sed potest mutari si res exigat ab iis quos penes est Reipublicæ potestas summa. Ac proinde & potuisset olim, & potest hodie, Lex quævis Carolina mutari, si id exigat salus publica. Utut igitur Carolus Magnus ita forte sanxisset, non tamen propterea necesse est non alibi coronationem instituere, si Cæsari & Ordinibus Imperii placeat ab illa lege discedere. Concedit hoc ipsum Coloniensis ultro; & intra hosce centum annos ordine sex coronationes, extra quoque diœcesin Coloniensem, sunt institutæ. Ipsemet Carolus IV. in sua aurea Bulla fatetur, extra Aquisgranum posse interdum Regem coronari: & vero ipsemet erat Bonnæ, non Aquisgrani coronatus. Jam quoque supra probavimus neminem eorum qui Ottonem Magnum antecesserunt Germaniæ Reges a Ludovico Germanico usque Aquisgrani fuisse coro-

na-

natum: poſt item quamnultos alibi coronatos, Colonienſe non reclamante, niſi quod ſeculo duodecimo cœperit vulgo perſuaderi Aquiſgrani duntaxat legitime quem coronari. Ita ſcil. ſeſe res habet. Seculo XII. poſt natum Chriſtum nata eſt fabula de Caroli M. quadam lege circa locum juſtum coronationis Regiæ. Nec vero ante illa tempora reperias temere aliquod veſtigium ejus, quæ tum multis arriſit, abſurdæ ſententiæ, *quaſi ad eſſentiam* (ut ita loquar) *coronationis pertineat, ut illa fiat Aquiſgrani.* 1) Poſſit quidem forte videri, jam tum Henrico II. regnante opinionem illam invaluiſſe; idque quoniam Heribertus Colonienſis poſt coronationem Moguntinam adegerit Henricum, ut pateretur ſeſe denuo eligi & Aquiſgrani coronari. Verumtamen forte haud injuria dubites de fide illius hiſtoriæ. Defenſores enim quidem p. 47. laudant teſtem Adelboldum Trajectinum Epiſcopum qui id memoraverit in deſcriptione vitæ Cæſaris illius Henrici: At vero teſtatur quidem & Sigebertus *l. de vir. illuſtr. cap. 139.* ut & Beka, talem librum ab Adelboldo conſcriptum eſſe: an vero ille hodieque ſit ſuperſtes, multum dubito. (i) Extat enim quidem libellus hoc nomine in Divis Bamber-

(i) Pauci forte hodienum dubitant, poſtquam Du Pinius, Pagius, aliique, Vitam Henrici S. a Caniſio, Gretſero, Surio publicatam, uni eodemque Autori, Adelboldo, vindicavere. Caniſiana quidem editio manca & corrupta eſt. Gretſerus aliquibus ſaltem locis meliorem dedit, quam etiam rebus Brunſvicenſibus inſeruit Leibnitius.

bergensibus Gretzeri, sed mutilus, cumque hac inscriptione in ipso codice mſ. repertus: *Vita Henrici Imperatoris ab Adelboldo Episcopo Trajectensi, ut creditur, conscripta.* Quo patet libellum dubii esse autoris. Alium omnino librum ejusdem argumenti Adelboldo adscriptum vulgavit Henricus Canisius tomo VI. Antiquar. lection. Sed cum auctor ille narret, quemadmodum divorum ordini ab Eugenio III. anno 1113. sit adscriptus Henricus Cæsar, Adelboldus autem obierit anno 1027. ut refert J. Beka, neque hic libellus potest esse Adelboldi. Et vero Gretzerus quoque suspicatur esse hunc libellum Nunnosii monachi. Editor Canisius non audet affirmare Adelboldi esse, quia in mſ. codice nomen nullum invenit. In Canisiano porro libello nihil legitur de repetita illa Henrici unctione Regia, quæ sit Aquisgrani instituta per Coloniensem. (k) An in Gretzeriana editione id habeatur nescio; quum non sit ad manum. (l) Ut autem forte tale quid, quale Defensores narrant, ibi legas, de fide tamen narrationis merito dubites quod ab incerto auctore fabula sit profecta. Nec vero quidquam ejusmodi habet Dithmarus, qui serie annorum observata diligenter satis Henrici omnia ipse coævus persecutus est usque ad annum 1019, atque adeo omnia XVI. priorum annorum Henrici acta. (m) Nihil tale habet histori-

co-

(k) Jam monuimus, Canisii Editionem mutilam esse. S.

(l) Habetur utique, & quidem p. 437. seq. Habetur itidem in editione Leibnitiana. d. l. p. 433. §. 12. S.

(m) In editione Ditmari Leib-

eorum ejus ævi alius. Imo plane adversa prope habet Magnum Chronic. Belgicum Pistorii de Heriberto & Henrico *pag.92.* Sed & fabulosum utique est, quod habet Defensor Coloniensis *pag.57.* iteratam illam coronationem peractam esse adstipulante Gregorio V. Pontifice: constat enim Gregorium V. obiisse anno 999. triennio integro antequam Ottoni tertio successit Henricus Rex. Certe sola hæc fabula apta est omnem narrationem suspectam reddere. *Ea vero ætate neutiquam fuisse persuasum prudentioribus, omnem coronationem nusquam alibi rite quam Aquisgrani institui*, liquet etiam clarissime ex eo, quod Henrici proximus successor Conradus II. unctus sit Moguntiæ præsentibus Regni Episcopis & Principibus, a Moguntino Aribone, atque adeo ipso consentiente Coloniensi, qui Reginam consecravit, sed itidem non Aquisgrani, sed in Ecclesia Coloniensi: ut refert Wippo *in vita Conradi.* Quanquam fieri potuerit, ut Aquisgrani quoque sit coronatus Henricus ab Heriberto. Nec tamen vel inde fas fuerit colligere, priorem coronationem fuisse improbatam. Sic satis frequens nimirum illa ætate fuit, præter primam maxime solemnem atque adeo sacram coronationem, repetere coronationes, idque per Episcopos. In Galliæ & Angliæ Regum historiis occurrunt exempla quammulta. Imo iidem Francorum Reges sæpius fuerunt uncti, florente familia Caro-

Leibniciana Tom. I. rer. Brunsvic. p. 369. l. V. eadem omnino habentur, quæ apud Adelboldum.

Carolina. Pipinus videlicet bis: Carolus Magnus quater: Ludovicus Pius bis: Carolus Calvus quinquies: Ludovicus Lotharii filius bis: Toties & Ludovicus Balbus aliique sunt uncti: quod testimoniis indubitatis ex veteri ævo ostendere est in promptu, si res exigat. Verum non est hujus id loci, præsertim fabula illa de irrita reddita prima Moguntina Henrici coronatione jam insibilos producta. Confirmat idem coronatio Rudolphi Suevi anno 1077. Moguntiæ instituta præsentibus Legatis Romanæ Sedis & multis Principibus. Et vero ipse Pontifex probavit hunc actum & agnovit Rudolphum Regem: non facturus nisi credidisset extra Aquisgranum posse Reges recte institui. Videtur idem confirmare & Henrici V. inauguratio. Etsi enim Urspergensis scribat, hunc anno 1099. a patre factum Regem Aquisgrani, Otto tamen Frisingensis, cui potior debetur fides, ita loquitur l. 7. Chron. c. 8. *Anno ab incarnatione Domini M. C. III. Imperator Henricus natalem Domini Moguntiæ celebrans, ibique Henrico filio suo rege post se designato, &c.* (n) Idem Otto ejusdem libri cap. 2. de eodem Henrico V, post patrem abdicatum, sic loquitur: *Reversi ad filium optimates imperialia deferunt. cumque primo a patre ele-*

(n) Vereor, ut hæc & sequentia Ottonis verba pro Autore faciant, cum & designatio & electio regis ab ejus coronatione valde differant, nec raro singuli actus tribus diversis locis peracti fuerint. Gravioribus ergo rationibus opus est ad refellendum Uspergensem. S.

electum, per impositionem manus Apostolicæ sedis Legatorum, cunctorumque electione, Regem vocant. Paulo ante vero sub capitis illius initium narraverat, maximum conventum Principum Moguntiæ factum esse anno M. C. VI. Ut omnino sit verisimile, etiam Henricum V. Moguntiæ consecratum esse, non Aquisgrani. Id quod si ita est, etiam hinc licebit pronunciato nostro argumentum petere. Eodem seculo tamen duodecimo, circa tempora Friderici I, fateor cœpisse passim credi, *a Carolo Magno legem aliquam ejusmodi Aquigranensibus faventem esse latam*, eamque constitutionem cœpisse & jam tum & ex eo tempore magno pretio æstimari. Palam hoc est ex iis, quæ l. 1. canit Güntherus de Aquisgrano.

Hoc sibi prima loco veluti cunabula Regni
Carolus esse volens, magno cum Francia Regi
Utraque serviret, primam gestare coronam
Jussit, & in sacra Reges ibi sede locari.
At simul a nostro secessit Gallia Regno,
Nos priscum Regni morem servamus; at illa
Jure suo gaudet, nostræ jam nescia legis.

Initio seculi decimi tertii, anno nimirum 1202. Principes qui elegerant Ottonem IV. in suis ad Innocentium Papam literis, quas recitat Baronius, scribunt inter alia de Ottone illo: *Ad Romani Regni fastigium juste & rationabiliter illum elegimus, & sicuti debuimus, ipsius electioni consensimus, ipsumque in Augustorum sede, a Carolo Magno apud Aquisgranum huic dignitati deputata, locavimus, & corona & diademate per manum Adolphi Coloniensis Ar-*

chiepiscopi, ea qua debuit solemnitate, feliciter coronavimus. Tales voculæ isthac tempestate passim sparsæ sunt, antehac plane nusquam auditæ. (o) Et vero supersunt hodieque a Goldasto *tomo II. constitution. Imperialium pag. 6.* traditæ tabulæ Friderici II. Cæsaris, confirmantes insertum aliquod diploma Friderici I. quo anno 1166. latum a Carolo Magno de Aquisgrano privilegium, ab urbis illius incolis sibi oblatum, roboravit. Utræque illæ tabulæ videntur sic satis genuinæ esse. Ut proinde jam palam sit, post annum illius seculi sexagesimum aliquid sparsum fuisse in vulgus de privilegio Carolino circa coronationes Regias, Aquisgrani duntaxat instituendas. Et sane in privilegio illo Carolino hæc verba leguntur: *Illic vero Domino Apostolico Leone III. & omnibus prædictis nobilibus & egregiis personis congregatis, merui ab omnibus obtinere præ nimia devotione, quam erga ipsum locum & Matrem Domini nostri Jesu Christi habebam, ut in templo eodem sedes Regia locaretur, & locus Regalis, & caput Galliæ trans Alpes haberetur: ac in ipsa sede Reges, successores & heredes Regni initiarentur, & sic initiati jure dehinc Imperatoriam Majestatem Romæ sine ulla interdictione plenius exequerentur. Confirmatum & sancitum est hoc a Domino Apostolico, Leone Romanorum Pontifice, & a me Carolo Romanorum Imperatore Augusto, primo auctore hujus templi & loci, quatenus* ra-

(o) Repeti hic possunt duo loca, quæ superius lit. h. adduximus. S.

(p)

ratum & inconvulsum hoc statutum & decretum nostrum maneat, & hic sedes Regni trans Alpes habeatur, sitque caput omnium civitatum & Provinciarum Galliæ. Hæc est illa celeberrima scil. Caroli Magni Lex, quæ a seculo duodecimo usque plurimis persuasit, coronationes legitimas non nisi Aquisgrani posse fieri. At vero omne illud privilegium esse ab Aquisgranensibus illa ipsa ætate confictum, & inepte quidem confictum, hodie sane non potest quem latere, qui in veterum monumentis vel modiocriter est versatus. Non est hujus temporis, ineptias & affanias illas in lucem producere; at vero a Carolo Magno institutum non esse, ut consecratio aut Initiatio Regum prima fiat Aquis, palam est vel ex eo, quod cum hoc privilegium existimetur traditum circiter anno 804. Carolus biennio post omne regnum suum in tres partes inter filios totidem diviserit, non nisi uni illorum attributa ea parte quæ Aquisgranum comprehendit; quæ formula divisionis hodieque ex parte superest edita per P. Pithoeum (p) & Annalibus inserta a Baronio (q) quodque Ludovicus Pius Caroli filius statim anno 816. non Aquisgrani sed Rhemis a Stephano Papa coronari sese fecerit, cum tamen memoria Carolinorum institutorum esset tum recentissima, & apud Pium filium observatio eorum longe religiosissima. Nec enim nunc urgebo, quod nemo plane omnium Caroli posterorum memoretur Aquis-

(p) p. 283.
(q) Tom. IX. ad A. 806.

§. XVII. S.

(r)

Aquisgrani consecratus, etiam illorum quorum in ditione fuit Aquisgranum. Cui autem fiat verisimile, usque adeo neglectam fuisse sacram legem Caroli, nec tantum neglectam, sed etiam ex omni hominum notitia elapsam, idque per illa etiam recentissima tempora? Verum non est quod hisce nunc immoremur, quum ipsi Colonienses fateantur, fas esse non in sola Aquisgranensium urbe coronationes instituere.

§. IX. II. Æque vanum autem est illud etiam *alterum*, nempe, *quod Aquisgrani possit solus Coloniensis Regem rite consecrare.* Defensores enim Colonienses p. 41. & 42. provocant etiam ad constitutionem quandam Caroli Magni; sed minus sunt instructi aliquo testimonio quam Aquisgranenses. Nec enim hactenus, quod sciam, vel figmento natum est ejus argumenti aliquod diploma. Ne id quidem verum est, quod testibus Petro a Beck, Cæsareo, & Collectore Chronici Magni docent pag. 41. *munus coronandi Ludovicum Pium a Carolo esse tributum Hildoboldo Archiepiscopo Coloniensi.* Nec enim illi autores merentur inter testes rerum ævi Carolini numerari, homines heri & nudiustertius demum, ut ita dicam, nati. Sed & genuina illius Carolinæ ætatis monumenta memorant quidem, Ludovicum illum Pium a Carolo patre coronatum anno 813. ast per Hildeboldum id factum, non memorant. Imo vero nec Hildeboldi nec alterius alicujus Episcopi manu factam illam coronationem, non passus nos est ignorare Theganus *l. de gestis Ludovici cap. 6.* Prolixe enim ille describens quæ tum egerit Carolus, inter alia

alia hæc habet: *Tunc jussit eum Pater, ut propriis manibus coronam, quæ erat super altare, elevaret, & capiti suo imponeret, ob recordationem omnium præceptorum quæ mandaverat ei pater.* Certe a Carolina aliqua lege non est profectum illud jus coronandi quo fruitur Coloniensis in diœcesi sua: nec illorum quisquam obtentu talis alicujus legis hactenus jus illud suum asseruit. Speciosus maxime & antiquissimus & unicus prætextus aliquot seculis fuit: quod consecrationes debeant fieri a diœcesanis in qualibet diœcesi, aliæ ab Episcopis, aliæ ab Archiepiscopo, prout consecrationes sunt aliæ atque aliæ: ac proinde consecrationem quoque Regalem, quæ intra diœcesin fit Coloniensem, a Coloniense Archiepiscopo esse instituendam. Est vero, ceu jam ante diximus, etiam hic prætextus perlevis. Nec enim consecratio illa Regia sacrum characterem imprimit, aut vere meretur accenseri numero consecrationum aliarum: sed potius externa quædam est ceremonia ad exemplum moris Hebræorum composita idque ævoe sequiore demum inter gentes Germanicas & Sarmaticas. Utque sit hæc consecratio ejusdem cum aliis ordinis, nihil prohibet tamen, quo minus illa peragi rite possit ab eo, in cujus diœcesi non est locus ille ubi consecratio instituenda est. Etsi enim diœcesibus singulis sua sint jura prudenter constituta per canones Ecclesiasticos: notum tamen est, non eum esse rigorem canonum, ut sine omni exceptione stricte semper sint observandi. Circa consecrationes sæpe numero aliquid indulgeri, palam est. Non vocabitur hoc, scio, indubium hodie quidem a Coloniensibus, ut-

utpote quum velint omnes consecrationes Regias, etiam extra suam diœcesin, a sese instituendas esse. Agnoverunt autem hoc jam etiam olim ipsimet Colonienses: eoque passi sunt Ottones tres, a Moguntinis consecrari. De Ottone I. enim utique clarum illud est ex iis quæ Witekindus narrat l. 2. Frustra enim Defensores pag. 48. & 56. conantur aliquas partes in illa consecratione etiam Wigberto Coloniensi attribuere, idque testimonio Witekindi: cum hic tantum significet ad coronæ impositionem operam Wigberti advenisse: *coronatus* (inquiens) *diademate aureo ab ipsis pontificibus Hildeberto & Wigberto*, & diserte testetur, ab Hildeberto esse dictum: *nunquam de capite tuo oleum miserationis deficiat.* Quæ verba indubie spectant ad effusionem olei in caput Ottonis, quo ritu tum constitit unctio. Æque nihil ad rem facit, quod iidem Defensores urgent, consensu Wigberti eam consecrationem esse institutam, testibus Witichindo & Dithmaro. Etiam ita enim patet, vel canones de consecratione non esse strictæ observantiæ, vel illos ad hunc actum non pertinere. Alterutrum enim nisi ponas, non fuit in potestate Wigberti, adversus canonum præcepta consentire. Ottonem II. saltim ex parte esse consecratum a Moguntino, fatentur ipsi Defensores *p. 57.* debuisset autem ad illum actum plane non admitti, si consecratio unice esset juris diœcesani. Frustra vero ex eo quod Rogerius *in vita Brunonis* dicit: *Ottonem unxisse Brunonem Coloniensem, Wilhelmum Moguntinum, & Henricum Trevirensem*: conantur illi exsculpere, in illa consecratione primas fuisse partes Bru-

Brunonis. Primo enim loco recensetur Bruno, quod ejus vitam auctor scribendam suscepisset. Ad Ottonis III. coronationem quidquam juvisse Coloniensem, non ausi fuerunt Defensores pronunciare; prætendunt tamen pag. 47. Warinum Coloniensem morbo tum fuisse detentum. At nullo testimonio nititur ille prætextus, ac proinde est fabulosus. Perinde ac perperam illi credunt, quasi Dithmarus scripserit: *Willegisum coronationi astitisse.* Verba enim Dithmari hæc sunt sub finem l. 3. *Hujus* (Ottonis II.) *inclyta proles die proximo natalis Domini ab Johanne Archiepiscopo Ravennate, & a Willegiso Moguntiacense in Regem consecratur Aquisgrani.* Idem quoque Dithmarus cum ibidem tum initio l. 4. testatur, eodem circiter tempore Warinum Coloniensem, cujus *firmæ fidei* Otto II. filium commiserat, tradidisse Regem tenellum tutelæ Henrici Ducis Bavariæ: quod indicio est non ita fuisse morbo tum gravatum Warinum, ut Regni negotiis curandis fuerit inidoneus. Quicquid sit, certum est, Warinum consecrationem illam Regiam neutiquam improbasse. Quid? quod diu etiam post, in solemnibus coronationis Regiæ Aquisgranensibus Unctio fuerit non recusante Coloniense peracta a Moguntino? Palam id est ex historia coronationis Wilhelmi Hollandi, quæ una omnium plenissime ceremonias tum usitatas exhibet, auctore Johanne Beka in Chronico Episcoporum Ultrajectinor. cujus testimonio Defensores p. 51. docere nituntur Wilhelmum coronatum a Coloniense. Operæ est pretium hoc loco recitare integrum illum Bekæ locum, quo pateat conse-

ſecrationem neutiquam tum fuiſſe peractam a ſolo Colonienſe, ſed in ea eximias partes fuiſſe cum Moguntini tum etiam Trevirenſis, etſi coronatio ſit inſtituta Aquiſgrani: *Poſtera die, quæ eſt omnium Sanctorum feſtiva ſolemnitas, univerſa multitudo Prælatorum & Principum deduxit electum Regem ad Baſilicam perpetuæ Virginis Mariæ, ut ſolemnem benedictionem acciperet ſecundum ritum antiquæ conſuetudinis: quem Monaſterienſis & Mindenſis Epiſcopi ſimul ordinarunt infra ſacrarium, ſed eundem Leodienſis & Trajectenſis Epiſcopi veſtitum ornamentis Leviticis in modum Diaconi produxerunt ante Regale ſolium. Quem ex tunc Colonienſis Archiepiſcopus Cancellarius Italiæ collocavit in ſede Majeſtatis, ita dicens: Super thronum regni glorioſe ſedens, Judicium & Juſtitiam in terra facias. Archiepiſcopus vero Moguntinenſis Cancellarius Germaniæ cum oleo ſanctificato dextram ejus foras unxit, ita dicens: Conſecrare te dignetur omnipotens Deus in Regem Romanorum, qui David per manum Samuelis Prophetæ Regem inungi juſſit ſuper populum Hebræorum: Archiepiſcopus autem Trevirenſis Cancellarius Galliæ manus illi ſuperimpoſuit, ita dicens: Diſcendat in te Spiritus ſapientiæ, intelligentiæ, ſcientiæ, pietatis, fortitudinis & conſilii, replearisque Spiritu timoris Domini, Marchio quidem Brandeburgiæ Regis Camerarius annulum ei tradidit, ita dicens: Accipe ſignaculum Monarchiæ, ut Romanum Regnum in ſuo vigore conſerves, quod ab incurſione Barbarorum invictæ virtute defendas. Dux autem Saxoniæ, Regis juſticiarius donavit ipſi gladium, ita dicens: Accipe* *ſce-*

sceptrum Regium, ut rebelles severa correctione potenter affligas, omnesque benevolos in tranquilla pace gubernes. Dux equidem Bavariæ Comes Palatii seu Dapifer, dedit ipsi globum aureum, ita dicens; Accipe globum sphæricum, & omnes terræ nationes Romano Regno subjice, ut gloriosus Augustus appellari valeas. Rex dehinc Bohemiæ, Regis princerna, de consensu Coloniensis Archiepiscopi, coronam argenteam capiti ejus superimpressit, ita dicens: Accipe diadema splendidum, & sis in virtuosis actibus adeo coruscus in terris, ut coronam æternæ felicitatis habere merearis in cœlis. Post hæc autem circumstantes Principes, adorantes Majestatem Regiam, acclamaverunt ipsi salutem laudem & gloriam; accedentes quoque singulatim Primates ad regale solum, præstiterunt eidem debitæ fidelitatis homagium. Hactenus Beka. Collector chronici magni Belgici pag. 245. omnia hæc totidem verbis recitat nulla tamen facta mentione Moguntini: sed facile apparet vitio descriptoris nonnulla excidisse. Et vero prout in editis etiam nuperrimis est Beka codicibus, ita & in manuscriptis est codicibus, quos exhibere inpromptu est. (r) Ex quibus omnibus jam palam etiam est alterum, nempe *non soli Coloniensi esse fas Aquisgrani aut intra suam diœcesin Reges consecrare, si rem ipsam spectes, se-*

(r) De Friderico II. testatur Godefridus Coloniensis ad A. 1215. aliique coætanei Scriptores, coronatum illum fuisse a Moguntino Aquisgrani; sed cum addat, Coloniensem tum vacasse sedem, hoc exemplum vix quicquam probabit. S.

posita quæ inolevit consuetudine. At vero si nullum jus exigit, ut vel duntaxat Aquisgrani, aut intra Coloniensem diœcesin, vel per solum Coloniensem etiam intra diœcesios Coloniensis limites, instituatur Regia consecratio, nihil utique superest quo vel illa dignitas Coloniensi sarta tecta queat servari, præter inveteratam consuetudinem, consensu Moguntini & cæptam initio & exinde propagatam. Id quod Quarto loco suscepimus demonstrare.

§. X. V. Fortassis tamen etiamnum hæret aliqua dubitatio, quæ proinde QUINTO loco meretur e medio tolli. *Quinam videlicet factum sit, ut etiam ante productam illam falsam legem Caroli Magni, jam Ottones & alii Reges voluerint Aquisgrani potius coronari quam alibi: quare item Moguntini passi sint sibi eripi a Coloniensibus jus coronandi intra diœcesin Coloniensem.* Non enim possit videri fieri potuisse, nisi Legis alicujus majoris auctoritate. Verum enim vero Legem nullam intervenisse jam ostendimus. I. *Prius* tamen contigisse arbitror: propterea quod Aquisgranum præ aliis locis & amaverit & ornaverit Carolus Magnus, ibi quoque sit mortuus & sepultus. Hac sane ratione inter omnia Regia palatia Transalpina Aquisgranense omnium fuit primum jam Caroli ætate & nobilissimum. Hinc Auctori poematis quo adventus primus Leonis III. Papæ in Germaniam est illa ætate celebratus quodque legitur Tomo 6. antiqu. Lection. Canisii, Aquisgranum audit *Roma nova & Roma altera.* Quo pertinent, quæ de Laterano & Cardinalibus Aquisgranensibus notat Freherus ad donationem Constantini p. 54. Hinc quoque jam tum

Nit-

Nithardo Caroli Magni ex filia Bertha nepoti audit initio l. 4. de diſſidiis filior. Ludovici Pii: *Aquis palatium ſedes prima Franciæ.* Wippo pag. 429. ita loquitur. *Collecto regali comitatu Rex Chonradus per regionem Rubuariorum, usque locum, qui dicitur Aquiſgrani palatium pervenit, ubi publicus thronus Regalis ab antiquis Regibus & a Carolo præcipue locatus, totius Regni archi ſolium habetur.* Otto Friſingenſis appellat locum illum: *Archi ſolium Regni Francorum.* Cum itaque Henrici Aucupis felicioribus armis reddita Germanico ſceptro eſſet Lotharingia cum Aquisgrano, viſum fuit convenientiſſimum Ottoni, celeberrimo illo loco potius quam alibi coronam Regiam conſequi. Placuitque idem conſilium ſucceſſoribus; non ita tamen, ut exiſtimaverint, alibi coronari eſſe nefas ſi uſus poſtulet: eoque etiam alibi & Henricus II. & Conradus Secundus & Rudolphus Suevus ſunt coronati. Donec tandem fictitiis Aquiſgranenſium tabulis perſuaſum eſt, ex vetere inſtituto ipſius Caroli, non alibi quam Aquiſgrani rite quem Regem coronari. 2) *Poſterius* cœpit prætextu canonum, qui definierunt uti conſecrationes fiant a diœceſeos presbyteris & Epiſcopis. Hinc enim ſui eſſe juris conſecrare Regem Aquiſgrani, Colonienſes inferunt. Verum in re non ſatis definita cum prævaleret adhuc multum Moguntinus, mitius negotium hoc Colonienſes agitavere; at vero Henrico III. imperante plane vicerunt, idque quantum arbitrer duabus de cauſis. *Altera* eſt quod jam tum Colonienſis ſedes eo creviſſet ut æmulatione ſua pene dubium niteretur reddere Moguntini primatum. A-

gnovit sane saltim ex parte hanc æmulationem etiam Guntherus in Ligurino, canens libro 1. in hunc modum, initio quidem de Moguntina urbe inde de Colonia:

Turribus hac eadem quondam murisque superba
Pene fuit toto sedes notissima Regno;
Donec ob infandum detestandumque furorem
Strata, luit meritas occiso Præsule pœnas:
Inde ruinosis deformis & horrida muris
Testatur justas offensi Principis iras.
Huic, ne præcipuam celebret Germania sedem,
Invidet, atque locum tenet Agrippina priorem,
Ambæ metropoles &c.

In tantum igitur evecta jam Coloniensis sedes, noluit amplius perinde ut antehac, Moguntinæ cedere, saltim intra diœcesin suam. 2) *Altera* me judice causa est, quod Henrico regnante cum alii Episcopi Germaniæ, tum etiam ipse Moguntinus plus justo, certe plus solito, sibi arrogaverint in diœcesibus suis. Luitpoldus certe ipse Moguntinus dici non potest quam fuerit rigidus in tuendis suæ diœceseos illis creditis juribus. Ut ingenium viri omnibus innotescat, recensebo miram historiam de eo, quam habet Conradus Urspergensis in chronico, etsi nonnihil forte prolixiorem: *Anno* (inquit Conradus) *Domini millesimo quinquagesimo tertio Apostolico & Imperatore natale dominicum divino & regio cultu Wormaciæ agentibus, missarum celebratione in sancta die peracta, ut oportuit, ab Apostolico, in sequenti die Luitpoldum Moguntinæ sedis Archiepiscopum, utpote in suæ diœ-*

diœcesi præcipuum, huic subrogavit officio. Qui peracta processione, & ubi ad hoc ventum est dicta oratione, postquam se in sua sede locavit, quidam ex diaconis suis, Hunnibertus nomine, sicut multi ob illius festi venerationem solent, lectionem decantavit. Quod quidam ex Romanis Papæ assistentibus vituperantes, & contra Papam, quia Romano more non ageretur, objurgantes, persuaserunt ei, ut ad eundem diaconum mitteret, & decantationem interdiceret. Quod cum ille juvenum more contemneret, iterum mittendo Papa interdixit: qui mox eadem vocis sonoritate qua prius cantavit, legendo decenter lectionem usque ad finem perduxit. Qua finita, Papa illum ad se vocavit, & quasi pro inobedientiæ contumacia degradavit, Archiepiscopus vero misit ad illum, ut suum sibi redderet ministrum. Quod ubi Papa abnuit, Pontifex ut erat antiquæ disciplinæ, licet ægre patienter tamen interim tacendo sustinuit. Perlecto autem Evangelio, & decantato offertorio, ubi sancti sacrificii tempus advenit, Pontifex in sede sua resedit, vere contestans, nec se, nec alium quemquiam completurum illud officium, nisi reciperet processionis suæ ministrum. Quod ubi Apostolicus intellexit, pontifici cessit, reindutumque ministrum continuo remisit. Quo recepto, debito se præsul inunxit officio. Qua in re & Pontificis autoritas, & Apostolici consideranda est humilitas, dum & ille officii sui dignitatem defendere contendebat, & iste, licet majoris dignitatis, Metropolitano tandem in sua diœcesi cedendum perpendebat. Hactenus Urspergensis. Non contenderim pro veritate historiæ, quia Lamberto si credendum

non anno 53. sed 51. Wormatiæ natalem Domini Leo Papa cum Cæsare coluit, vivo adhuc Berthone Moguntino, cui Luitpoldus demum post Pentecosten ejus anni successit. Attamen si mores seculi illius videas, non est indigna fide illa Urspergensis narratio. Quanta cæde sane Episcopus Hildesheimensis non dubitaverit sibi primum locum intra suam diœcesin defendere anno 1063. cum horrore legas apud Lambertum Aschafneburgensem. Si vero Luitpoldus Moguntinus ne ipsi quidem Papæ voluit cedere in sua diœcesi, quid mirum est, eodem jure adversus illum esse usum Coloniensem, & pristinum coronandi jus Moguntino saltim ex parte fuisse ereptum? Quin ad hunc modum sane utrumque illud potuerit oriri, nemo dubitabit humanarum rerum gnarus. Nec enim prudens quis ignorat, quam ab ineptis opinionibus sæpe res maximæ originem cœperint.

§. XI. VI. Cæterum, hac quoque dubitatione soluta, nihil superest, nisi ut brevibus perlustremus ipsam ultimam Coloniensem Defensionem, si forte illa habeat aliquid quod nondum a nobis sit tactum, ne queamus videri non probe defuncti nostro munere asserendi jus Moguntinum. Igitur *pag. 40.* occurrit quidem memoria legis a Carolo Magno latæ de coronationibus Aquisgrani instituendis: sed illam fabulam jam supra explosimus. (s) Utque vera sit, nihil facit ad id quod in quæstione est, num si coronatio extra etiam Aquisgranum aut diœcesin Coloniensem sit

(s) §. 8.

ſit inſtituenda, conſecrandi officium ſit penes Colonienſem an Moguntinum? Nec vero exiſtimaverim, in id factam mentionem illius fabuloſæ legis Carolinæ, ut probetur etiam hodieque Aquiſgrani ſolummodo coronationes peragi debere. Fuerit enim hoc conjunctum cum injuria ſaltim quinque noſtrorum proxime ſibi ſuccedentium Cæſarum, ut & ultimi Romanorum Regis, ne quid moveam alia. *Pag. 41.* Promittunt quidem Defenſores, ſe probaturos ſuam theſin cum bullis Pontificum & reſcriptis Cæſarum, tum perpetua conſuetudine: revera autem nihil in omni libello minus quam hoc præſtant. Inter bullas Pontificum *ead. pag.* primo loco laudant teſtem bullam Leonis III. qua Hildeboldo Colonienſi ille contulerit coronandi jus. Aſt bulla illa nusquam comparet, & non niſi fabuloſe jactatur. Utque ſit quædam talis bulla, nihil juverit cauſam Colonienſem, utpote quum ipſis Defenſoribus fatentibus illa eadem bulla coronationes omnes Aquiſgranenſium urbi adſtrinxerit, ac proinde dederit Colonienſi non niſi ſua in diœceſi coronandi facultatem. Majorem ſpeciem habent verba Innocentii III. Clementis IV. & Urbani IV. Pontificum, adducta *pag. 42. 43. & 44.* Jam tum vero oſtendimus, illa ætate per commenta Aquiſgranenſia fuiſſe homines deceptos, ut crederent non eſſe fas alibi coronari Reges noſtros quam Aquiſgrani, & quidem a diœceſano Archiepiſcopo. Id certe non poteſt quem latere, qui tantum eſt peritus eorum, quæ circa coronationem Philippi & Ottonis contigerunt, quanto nempe cum ſumtu, quanta vi Cæſares pugnaverint de conciliandis ſibi Aquisgranenſibus, ut in

urbe ista possent coronari. In hunc sensum itaque duntaxat loquuntur etiam illi Pontifices. Nec est quod credamus, in hisce non potuisse falli Pontifices; cum non sint utique quæstiones fidei, sed de juribus & institutis Regni Teutonici, in quibus errare non posse Pontifices, nemo hactenus affirmavit. Et vero licet his Pontificibus longe plures alios opponere: omnes nimirum illos qui approbaverunt Regum coronationes extra Aquisgranum & a Moguntino institutas: quorum numerus longe est major numero ternario. Hi sane non admiserunt illa: *Ex antiqua Coloniensis Ecclesiæ dignitate Archiepiscopum solommodo Reges & Imperatores coronare debere*; aut illa: *Coronationem Regum Alemanorum ad Coloniensem Archiepiscopum pertinere.* Ut & similia alia. Sed & jam audivimus, Guilhelmum Hollandum unctum esse a Moguntino: ut proinde non ita nude debuisset scribi fortasse in epistola ad Richardum Regem, paulo post Wilhelmum electum Regem: *quod ex officio spectet inunctio, consecratio & coronatio Regis Romanorum ad Archiepiscopum Coloniensem.* Friderici I. Cæsaris verba quæ adducuntur *pag. 45.* nihil ad rem faciunt. Nec enim aliud ille profitetur, quam *se debere Regalem unctionem Coloniensi*, quod longe est diversissimum ab eo quod probari debuit: omnes omnino Reges debere inungi a Coloniense. Similiter nihil ad rem faciunt historiæ quæ adferuntur *a pag. 45. usque ad 55.* de coronatis Regibus per Colonienses Archiepiscopos. Ut enim omnes illæ historiæ fuerint veræ, nihil tamen aliud docent, quam frequentissime omnium coronationes Regias esse in diœcesi Colo-

lo-

lonienſi ab illo Archiepiſcopo inſtitutas. Id quod nemo negat. Probari autem debuit, coronationes ſaltim interdum fuiſſe extra illam diœceſin a Coloniensſe peractas. In omni autem illa congerie tale aliquod exemplum ne unicum quidem comparet. Multæ quoque fabulæ irrepſerunt inter hiſtorias illas. Ita *pag. 45.* Ludovicum Pium coronatum eſſe ab Hildeboldo aſſeritur quidem, ſed jam ſupra a nobis eſt convictum falſi. (t) *Pag. eadem* ſcribitur, Lotharium ab eodem Hildeboldo coronatum, idque ſine ullo teſtimonio, tantum ex conjectura. Quaſi vero tum temporis omnis coronatio fuerit peracta ab Epiſcopo aliquo: *Pag. 46.* Quæ adferuntur de coronatione Cæſarea aliquot Cæſarum poſt Lotharium nihil faciunt ad noſtrum argumentum. Perperam quoque aſſeritur de coronatione Regum poſt Arnolphum usque ad Henricum Aucupem nihil haberi certi: nos jam ſupra Ludovici & Conradi coronationes deſcripſimus. In coronatione Ottonis II. primas partes fuiſſe Archiepiſcopi Colonienſis *pag. 47.* perperam item colligitur ex verbis quidem Rogerii allatis, ceu jam ſupra monuimus. (u) Similiter quæ adferuntur *p. 47.* de Warino ægrotante, & quaſi Moguntinus tantum *aſtiterit coronationi Ottonis III.* illa jam ſupra falſi convicimus. (x) Ut & quæ *eadem pag.* habentur de iterata coronatione Henrici II. jam rejecimus. (y) *Pag. 48.* Sine cauſa Lamberti Aſchafneburgenſis fides in ſuſpicionem trahitur, & rejicitur exemplum

(t) §. 9. (u) ibid. (x) ibid. (y) d. §.

plum Rudolphi Suevi: utpote quum hujus coronationem omnes pene Imperii Principes imo ipse Pontifex Romanus, tum probaverint. *Pag. 50.* Frustra jactitantur illa Güntheri verba: *Veteris juris* quam vetus illud jus tunc fuerit & aulam Cæsaream fuisse deceptam, liquidum jam fecimus. *Pag. 51.* Non male quidem ex Beka notatur, Wilhelmum Hollandum Aquisgrani coronatum esse a Coloniensi: ostendimus vero nos, unctum illum Regem, non a Coloniense, sed Moguntino. (z) Sed & coronam Bohemus imposuit, quamvis consensu Coloniensis. *Pag. 52.* Quæ adferuntur de coronata Elisabetha, Cæsaris Alberti Austriaci uxore, illa nullius esse ponderis, itidem jam supra ostendimus. (aa) *Pag. 53.* Recte quidem ostenditur, Trevirensem conatum fuisse dubium reddere jus Moguntinum: at hinc non sequitur Trevirensis causam fuisse potiorem. Imo necessum est Moguntinus vicerit, utpote qui *intra proximum mensem* debuerit probare jus suum: idque indubie fecerit, cum ex eo tempore a nemine Trevirensium quidquam amplius hac in re fuerit motum. Quæ *pag. 55. 56.* & *57.* adferuntur ad exempla pro jure Moguntino adducta, jam supra vindicavimus. (bb) Perperam quoque adfirmatur *p. 57.* quatuor tantum adducta exempla in Moguntino libello, plura enim recensentur: nos adhuc alia dedimus. (cc) Maximum causæ suæ præsidium videntur Defensores collocare in Aurea Bulla Caroli IV. quare *paginas aliquot inte-*

(z) d. §. 9. (aa) §. 6. (bb) d. §. (cc) ibid.

tegras, *58. nimirum*, *59*, *60*, *61*, *62*, *63*. amplius in illius urgendo patrocinio conterunt. Revera tamen tota illa Bulla nihil habet quod vel tangat leviter hoc negotium, præter pauca hæc verba tit. 4. *Colonienſi Archiepiſcopo competit dignitas nec non officium Romanorum Regi primum diadema imponendi.* Hæc vero nihil omnino juvant Colonienſem. 1) *Primum* enim palam eſt, verbis illis nihil novi ſciſci, ſed tantum ſignificari, quonam officio jam tum gauderet Colonienſis. Id jam tum cum fuiſſet monitum, Defenſores illi *pag. 62.* non dubitarunt hoc in ſiniſtrum ſenſum accipere, quaſi nimirum voluerint Moguntini, omnem legis auctoritatem inſtituto iſti de munere coronandi, quod Colonienſi competit, derogare. Perperam vero & præter mentem Scriptorum. Cæterum illis verbis Aureæ Bullæ novi nihil conſtitui, etiam ipſi Colonienſes utique fatentur: utpote qui juris Colonienſis originem arceſſant ab exordio usque imperii Germanici. Jam vero liquidum fecimus, omni anteacto tempore, non aliud jus coronandi vel competiiſſe Colonienſi, vel ipſos Colonienſes ſibi arrogaſſe, quam illud quod eſt diœceſios limitibus definitum. De ulteriore igitur jure aliquo neutiquam ſermo eſt in Aurea Bulla iſthac. 2) Patet hoc ipſum, *ſecundo*, ex ipſamet Aurea Bulla; quippe quæ ponit tanquam certum: ſolum Aquiſgranum eſſe juſtum locum coronationis Regiæ. Verba hæc ſunt: *Invenimus etiam ex clariſſimis relatis & traditionibus antiquorum, illud a tempore, cujus contrarii jam non habetur memoria, per eos qui nos præceſſerunt feliciter, eſſe id obſervatum, ut Regis Romanorum, futu-*

turi Imperatoris, in civitate Franckeford celebraretur electio, & prima coronatio Aquisgrani, & in oppido Nurenberg prima sua Regalis curia haberetur. Quapropter certis ex causis, etiam futuris præmissa servari debere temporibus, declaramus; nisi præmissis omnibus, seu eorum alicui impedimentum legitimum obviarit. Hæc verba utique indicant, sermonem Cæsari in omni hac Aurea bulla, quod coronationem quidem attinet, esse tantum de eo, quod ordinarie fieri tum solitum, aut fieri inposterum debeat: Ac proinde & illa verba superius adducta ex *tit.* 4. non aliter accipi debere, quam ordinarie, & si quando Aquisgrani instituitur coronatio, officium diadema imponendi competere Coloniensi. 3) *Tertio* hanc veram esse mentem illorum verborum, confirmat quam maxime ipsorum Coloniensium in eam vetus & perpetua consensio. Nec enim post Auream bullam latam quisquam eorum vel tentavit extra diœcesin instituere coronationem: cum tamen interdum id minus esset commodum. Adhoc a Ruperto Palatino Cæsare curaverunt quidem singulari privilegio sibi indulgeri coronationem interdum instituendi extra Aquisgranum, diserta tamen addita illa clausula: *intra suam diœcesin.* Illud ipsum privilegium quoque Carolo V. proposuerunt. Nec posthac unquam Moguntino extra diœcesin Coloniensem coronanti, vel facultatem coronandi denegaverunt, vel super injuria sibi facta intentaverunt litem. Quæ jam supra ursimus. 4) *Quarto* etiam hoc observandum unice venit, verbis illis Aureæ bullæ jus aliquod *consecrandi* Regem neutiquam tribui Coloniensi, sed solummodo

do jus *primum diadema imponendi.* Hoc unum ſane diſerte ibi memoratur. Atque diadematis impoſitio non eſt aliquod munus ſacerdotale: eoque olim a Laicis, imo ipſis Principibus facta eſt, prout jam tum monuimus. Sola ſc. unctio & benedictio aliquid ſacri muneris habet. Igitur utut etiam verba illa Bullæ ſint intelligenda de eo jure, quod per omnem Germaniam competat Colonienſi, hinc tamen minime ſequitur, conſecrandi jus ad unum illum pertinere. Et vero jam tum clariſſimum fecimus, non niſi ex privilegio omne illud jus etiam intra ſuam diœceſin convenire Colonienſi, alioquin uni Moguntino debitum: privilegia autem ſtricti juris eſſe, nec prodiga aliqua interpretatione amplianda, apud omnes in confeſſo eſt. Hiſce probe expenſis non eſt quod in animadvertendis iis, quæ Defenſores diſputant de mente Bullæ aureæ, *ad pag. usque 64.* immoremur. Illa vero quæ *pag. 64.* adferuntur exempla coronationum, poſt auream bullam promulgatam inſtitutarum, potius cauſam Moguntinam juvant, quam Colonienſem, certe nihil illi officiunt. Omnes enim illæ a Colonienſe quidem ſunt inſtitutæ, at non niſi intra diœceſin: idque quia ne auſus quidem ille fuerit eas alibi aggredi. *Ead. pag.* non potuerunt tamen negare Defenſores, ordine quinque Regias conſecrationes (acceſſit vero jam & ſexta in complementum felix ſecundi ternarii) a Moguntino, non autem a Colonienſe peractas eſſe. Excuſare tamen id conantur paginis ſequentib. eo maxime, quod Colonienſes Principes temporibus coronationum non fuerint infulati, atque adeo inidonei ſacro muneri peragendo:

eo

eo etiam, quod nihilominus illi Principes caverint suo juri per protestationes &. acceptas quas vocant assecurationes. Verum enimvero etsi fortassis Principes illi crediderint, Moguntinum non potuisse rite fungi consecrandi munere, nisi obstitisset illa sua inhabilitas, non tamen hoc ipsum præjudicat causæ Moguntinæ. Nec enim alienus de rebus tuis error tuis juribus quidquam derogat, ut nec quidquam addit. Probavimus vero jam tum nos, etiamsi fuissent infulati Colonienses illi Principes, non potuisse tamen ab iis institui sex illas coronationes Regias; utpote quæ fuerint peractæ extra Coloniensem diœcesin. Fuit certe hæc Moguntinorum præsulum perpetua sententia: eoque usi sunt suo proprio jure, nullo autem verbulo petierunt a Coloniensibus sibi illud ad tempus indulgeri. Imo ne Colonienses quidem illud aliquo vel levissimo actu Moguntinis coronandi facultatem commiserunt, aut a sese esse commissam significavere. Quod fieri debuisset, si non proprio, sed alieno munere Moguntini fuissent functi. Imo per est verosimile, saltim coronationem Maximiliani II. (ad cujus exemplum sequentes sunt institutæ) ideo esse extra Coloniensem diœcesin peractam, ne Coloniensi diœcesano juri quidquam decederet. Quod Colonienses petierint sibi caveri, ne juri suo coronandi actibus illis Moguntinis quidquam præjudicaretur, quodque interdum id ipsis fuerit indultum; illi rei ut refragarentur multum Moguntini, nihil causæ fuit. Nec enim illis animus unquam fuit, juri Coloniensi suis illis coronationibus quidquam derogandi: ut nec derogaverunt, imo derogare non potuerunt. Omnes enim illæ coronationes sunt institutæ extra diœ-

diœcesin Coloniensem, cujus finibus jus Coloniense circumscribitur: ac proinde Coloniense jus verum & priscum haud læserunt. Observatu porro dignum est, ex iis quidem, quæ adferuntur p. 66. non liquere, quod A. 1562. Coloniensis crediderit, sibi per Moguntinam coronationem quidquam derogatum. Etenim verba illa possunt intelligi eo sensu; quod cautum sibi voluerit, ne isto coronationis actu forte existimetur, omne jus coronandi in Moguntinum esse derivatum. Id sane ex eo colligas merito, quod quo tempore Rudolphus II. fuit coronatus, Coloniensis nequidem tali modo sibi caverit, sed tanquam a re non necessaria & inutili abstinuerit. Cautionem certe nullam esse interpositam, palam est ex ipsa Coloniensium defensorum narratione, quæ p. 66. continetur. Imo nec in Matthiæ coronatione dixeris a Coloniense Ferdinando cautionem aliquam interpositam, cum nec illam defensores attulerint in medium; satis industrii alias causæ suæ patroni. Ne quidem ex verbis Ferdinandi II. Cæsaris, quæ adducuntur p. 67. certo colligas, Cæsari tum fuisse persuasum id quod hodie a Coloniensibus prætenditur: sed tantum, ordinarie quidem Coloniensi competere jus coronandi, perinde ut ordinarie coronatio debet fieri Aquisgrani. Id quod nemo negat. Certe alium sensum esse. Reversalium literarum A. 1637. Coloniensi a Cæsare exhibitarum, nullo firmo argumento probare est. Quod *pag. 68.* Defensores voluerunt esse causæ argumentum *ultimum, & instar omnium*, illud sane per est leve, atque adeo indicat etiam reliqua omnia pari esse levita-

ta-

tate. Fuerit enim tale, si in formam syllogisticam cogas:

Si nullus actus coronationis institutus est a Moguntino, quo tempore Coloniensis vel fuit præsens vel infulatus, ex adverso contigit extra diœcesin Coloniensem aliquando coronationem institui præsente Moguntino, ergo coronandi jus simpliciter competit Coloniensi.

At verum est prius E. & posterius.

Hujus sane argumenti & Major & Minor propositio vehementer laborant. Nec enim in Majore ulla est vis consequentiæ; ut patebit, si Syllogismus in Cathegoricum commutetur. Et vero satis est probando juri Moguntino, si coronationis actus a Moguntino instituti fuerint rati. Præsens an absens fuerit Coloniensis, nihil ad rem facit; Posse certe illud per accidens tantum aut adesse aut abesse, negari non potest. Ad hoc certum est, si forte Moguntini delegatione Coloniensis actum coronandi aliquem exercuerit, eo utique nihil accessisse juris Coloniensi. Certe si majorem illam propositionem velis in Categoricam mutare, quatuor aut quinque terminis syllogismus constabit. Minor quoque falsissima est. De Ottone enim saltim I, ut & de Conrado II, deque Wilhelmo constat, & extra controversiam est, (nec enim alios nunc tangam) consecratos illos esse a Moguntino, præsentibus infulatis Coloniensibus. Nec coronata est Elizabetha Austriaca (quod unum jactant, etsi una hirundo ver non faciat, ut est in proverbio) extra diœcesin Coloniensem, proprio Coloniensis jure, quod falso supponitur; sed tan-

tantum ex commissione & singulari consensu Moguntini. Proponemus ex adverso nos argumentum longe validius & certius.

Si nullum omnino coronationis actum Colonienses exercuerunt extra diœcesin, ab initio usque Imperii Germanici, etsi id ut facerent, sæpe res prope flagitavit, ergo nec jus illis fuit hactenus coronandi extra diœcesin.

At verum est prius: ut supra probavimus.

Ergo & posterius.

Addemus & alterum:

Si Moguntinus sæpius coronavit Reges, & quidem omnes consecrationes quæ extra diœcesin Coloniensem fuerunt instituta, peregit, probantibus omnibus Ordinibus Imperii, imo ipsis Pontificibus Romanis, competit Moguntino jus coronandi saltim extra diœcesin Coloniensem.

At verum prius est: quod probavimus.

Ergo & posterius.

Pag. 69. perperam Moguntinæ causæ patroni tanguntur quasi illi jus coronandi ad jura diœceseos restrinxerint. Nec enim hoc illis venit in mentem. Tantum hoc voluerunt; Coloniense omne jus niti prætextu juris diœcesani. Quod revera est nihili, nisi accessisset longi temporis præscriptio quædam. Reliqua non indigent aliquo responso. Nam & illud nullius est momenti: quod nimirum Buxtorfius, Rumelinus, Ostermannus; & alii nonnulli, Coloniensi causæ adstipulati sint. Nec enim errores talium Scriptorum detrahunt quidquam solidis Principum juribus. Et quid est notius, quam ab illis, cæ-

tera præclaris viris, complura esse commissa ob ignorantiam rerum veterum, aliorumque Imperii actuum? Quum itaque in Defensione itaque novissima etiam Coloniensi nihil occurrat, quo Moguntinum jus saltim improbabile possit merito reddi, illud vero firmis argumentis jam sit ante astructum, non est quod huic loco amplius immoremur. Deum veneror, ut, cuivis jure suo reddito, pax & tranquillitas publica Imperii salva semper maneat floreatque.

HERMANNUS CONRINGIUS,

benevolo Lectori

S. P. D.

Quum mota inter Eminentissimos Principes Electores, Moguntinum & Coloniensem, de coronandi jure controversia rogatus sententiam libere illam anno Seculi hujus 55. prompsissem, nihil minus cogitabam, quam fore, ut mihi hinc nasceretur aliqua diversæ partis offensa. Nec enim nomen meum addideram, & sic temperaveram calamum, ut nullam jure succensionem possem vereri. Cum placuisset tamen Moguntinis, non vulgare duntaxat typis Francofurti libellum meum, sed illi etiam nomen meum præfigere, minus emendate autem omnis prodiissent in lucem, coactus fui nomine haud dissimulato aliam hic curare editionem, auctiorem nonnihil emendatioremque; non ignarus licet, quæ mihi jam tempestas immineret. Quæ hinc inde acta ex eo fuerint, tædet memorare. Quoniam vero inter Eminentissimos illos Principes non multo post omnia com-

componerentur, equidem gratulatus ſum Germaniæ noſtræ: utpote cujus ſalus hodie quidem ſita unice eſt in magnorum Principum concordia, tota Republica ceteroquin vehementer debili. Quum autem exempla libelli mei utriusque editionis dudum fuerint diſtracta, & tamen compoſitis quamlibet omnibus illa etiamnum paſſim ſed fruſtra a me pariter & bibliopolis petantur, non abs re futurum judicavi, ſi & tertia vice in lucem prodeat. Ut refodere velim compoſitam litem, abſit; (nec enim pace ac tranquillitate publica quicquam eſt mihi magis carum,) Cum tamen nihil dubitem, ex vero omnia abs me eſſe diſputata, non poſſum non ſimul exiſtimare ad laudem perpetuam optimorum Principum pertinere, quod jure ſuo cum vero tum credito cedere nonnihil maluerint, quam ſuis diſſidiis commodo publico nocere. Quæ res memoratu utique digniſſima eſt, & quæ in exemplum illuſtre, imo in regulam quaſi extet omnibus impoſterum imitandum. Quandoquidem vero paucis hactenus innotuerit, quibus legibus negotium illud arduum hodie ſtet, definitumque ſit, viſum eſt, adjungere meo opuſculo ipſas pacti tabulas. Deum autem obſecro, ut civili omni, etiam aliorum Principum diſcordia ſopita, Imperii Germ. Reſpublica ita vigeat, ita floreat, quo etiam adverſus externa mala, cumprimis immanem illam Turcicam vim, firma valeat perſiſtere ac ſecura. Helmeſtadii in Acad. Julia XXII. Januarii Anno CIↃ IↃ C LXIV.

Demnach zwischen Chur-Maintz und Cölln eine Zeithero sich um deßwillen Irrung und Streit enthalten, daß Seine Churfürstliche Durchl. zu Cölln, die Krönung eines erwehlten Römischen Königs, Ihr und dero Nachkommenden am Ertz-Stifft Cölln, allein, und zwar nicht nur zu Aachen und in dero Ertzbischöfflichen Diœcesi, sondern auch durchgehends im gantzen H. Reich Teutscher Nation, ohne Unterscheid/ Krafft, zu solchen Ende angezogener, Güldenen Bull zueignen; Hergegen aber Se. Churfürstl. Gnaden zu Maintz der güldenen Bull nach, die Stadt Aachen, zwar Sr. Churfürstl. Durchl. und dem Ertz-Stifft Cölln, gestehen, Ihro doch, und dero Nachkommenden am Ertz-Stifft Maintz, alle übrige Orte des H. Reichs, Teutscher Nation, Krafft für sich angezogenen alten Herkommens, und Gebrauchs, Besitzung zuschreiben wolte; Als haben beyderseits, Ihro Churfürstl. Gn. und Durchl. zu Maintz und Cölln, für sich, und ihre Nachkommende an dero Ertz-Stifftern, zuförderst GOtt zu Ehren, dann dem Vaterlande, und dero Ertz-Stifftern Land und Leuten zum Besten, nach reiffem der Sachen Bedacht, sich in der Güte einmüthig, und Freund-Brüderlich verglichen, wie folgt:

1.) Wollen Ihro Churfürstl. Gn. zu Maintz, und dero Nachkommen am Ertz-Stifft Maintz, zu Fortpflantzung beständigen Wohlvernehmens, guter Vertraulichkeit, und Freundschafft, wann die Frage: Ob die Krönung an einem andern, als in der Güldenen Bull bestimmten Ort, verrichtet wer-

den

den solle? vorkommt/ Sich nicht allein mit Ihrer Churfürstl. Durchl. zu Cölln, und dero Nachkommen am Ertz-Stifft Cölln/ einstimmig erklären; sondern auch dahin bemühen, und vermitteln helffen, damit die besagte Frage im Churfürstl. Rath, bey Uberlegung des Kayserlichen Wahl-Eydes, und vor der Wahl, jedes mal vorgenommen und erörtert, und die Krönung zu Aachen werckstellig gemacht werde, nisi impedimentum legitimum obvenerit, wie die Gülden-Bull selbst redet, unter dem 25. und 28. Titul, in dem Absatz, so sich anfängt: Invenimus etiam &c.

2) Daß beeden Ihren Churfürstl. Gn. und Durchl. zu Maintz und Cölln, die Würde, und das Amt, zu krönen, in ihren Ertz-Bistümen, undisputirlich, und zwar jedem in seinem Ertz-Bistum, und seinen Bezirck, allezeit allein und fürnemlich zukommen solle.

3) Da aber ausserhalb diesen beeden obgedachten Ertz-Bistümen, Maintz und Cölln, die Krönung in einigen deren unterhabenden Bey-Bistümern, oder in andern, außer der Ertz-Bischöflichen Maintz- und Cöllnischen Landschafft, gelegenen Ertz- und Bistümen geschehen würde, alsdenn soll dieselbe umwechselicht, von beeden Herren Churfürsten, Maintz und Cölln, verrichtet, und also ausser Aachen, und dann von beeden Herren Churfürsten sich vorbehaltenen, ihren eigenen Bezircks und Ertz-Bistümen, im gantzen H. Reich, zwischen ihnen, der Krönung halber, nur durchgehende Gleichheit, ins künfftig gehalten werden.

4) Dafern die Krönung außer denen Maintz- und Cölln Ertz-Bistümen, es seye in oder außerhalb beederseits Landschafften, vorgenommen werden solte, alsdann solle es bey obiger Umwechselung verbleiben / und haben Ihre Churfürstl. Gn. zu Maintz, zu mehrer Bezeugung ihrer treuen Freund- und Brüderlichen Wohlgewogenheit, nicht allein sich freywillig erklärt, sondern sind dabenebenst auch des Erbiethens, bey nächster Wahl, und deren Beendigung, best möglichst sich dahin zu bemühen, damit die jetzt bevorstehende Krönung in der Stadt Cölln, weilen etwan, wegen des kurtz hiebevorn zu Aachen vorgangenen Brandschadens der Bewirthung halber, daselbsten es unbequem fallen dürffte, verrichtet werden möge.

5) Solle dieser Vergleich nicht allein von beeden Herrn Churfürsten unterschrieben, sondern auch von beeden Thum-Capitulen, zu Maintz und Cölln, mit bewilliget / und zu ewigen Tagen hierauf einmüthiglich, fest und unverbrüchlich gehalten, auch andere Ausleg- und Ausdähnungen, oder Einflickungen darinn keines weges zugelassen; vielweniger das geringste sonsten dargegen vorgenommen werden. Deßen allen zur Urkund, haben beede hochgedachte Ihre Churfürstl. Gn. und Durchl. Maintz, und Cölln, für sich, und ihre beyderseits Nachkommen an dero Ertz-Stifftern, fünff dieser verglichenen Verträge unterschrieben und versiegelt, welche auch beede Hochwürdige Thum-Capitul zu Maintz und Cölln, mit bewilliget, und zugleich vollenzogen haben, darob eine recht gründliche Abschrifft Ihrer Churfürstl. Gn.

zu Maintz, eine Ihro Churfürstl. Durchl. zu Cölln, zu dero Archive, auf jeden Thum-Capittel eins, und dann eine zur Reichs-Cantzeley, ausgeantwortet, und verwahrlich aufbehalten werden solle. Geschehen den 16. Junii 1657.

Johannes Philippus.	Maximilian Henrich.
L. S.	L. S.
Capitul. Moguntin.	Capitulum Colon.
L. S.	L. S.

III.

CASPARIS SAGITTARII

DISSERTATIO

de

NOMINE WESTPHALIÆ.

habita Jenæ 1686. Resp. Anton. Thöne, Susato - Westph.

SUMMARIUM.

I. *Westphalia nomen* II. *Compositum*, III. *Germanicum.* IV. *non descendit a* Vesta. *Laus* Cl. Winckelmanni. V. *Prima syllaba est a vento* West. VI *Germani provinciis a ventis nomen imposuere: quod exemplis firmatur.* VII. De Austria & Austrasia. VIII. *Novæ lites de* regno Austrasiæ. *Elogium* opt. Scriptoris de hoc regno. IX. Regnum Austrasiæ & Austrasium. Franci Austrasii. Regnum, Militia, Manus, Reges, Duces Austrasiorum. Australes Franci. X. Austria *pro* Austrasia. XI. Auster *pro* Austrasia. XII. *An* Austrasia *ab* Austro *vento ducta?* XIII. *Non: sed ex* Ost *corrupta. Hinc* Orientalis Francia, & Franci Orientales *dicta:* XIV. *Item* Superiores Franci. XV. *Ut* & Osterlandi. XVI. Austrasiæ *opposita* We-

sterlandia, Westria, Westrasia, *sive* Westrachia. Et *ex his corrupta* Neustria. XVII. *Hoc est* regnum Francorum occidentale. XVIII. Neustria *etiam* Neuster Nustria, Niustria, Neauster, Neaustrasia, Neptria & Neptricum *appellata*. XIX. *Ejusque incolæ* Niustrii, Neustrasii & Neaustrasii *dicti*. XX. *Recentiorum consensus*: *nempe* Aventini, Rhenani, Reineccii, Goldasti, Grotii, Broweri, Valesii, Du Fresne. XXI. Francisci de Rosieres *fictitius* Rex Austrasius *exploditur*. XXII. Austria & Neustria *etiam in Longobardico* regno *locum habuit*. XXIII. *Gothi* in Ostrogothos & Westrogothos *divisi*. Ostrogothia; Westrogothia. Osterjytland. Westerjytland. XXIV. Thuringia Australis, Osterlandia. NortThuringia. XXV. *Recensus multarum vocum propriarum ab Ost, West, Sud & Nord incipientium*. Ostersalt, Ostrogard, Ostenda, Osterach, Osterburgum, Osterfelda, Osterhosa, Osterhusa, Osterroda, Ostertonna, Osterwikum, Osterwitzium, Osthemium, Odenwalda *ex* Osterwalda *corruptum*. XXVI. Westerwaldia, Westerburgum, Westcappel, Westernitium, Westgreusa, Westhosia, Westmünster, Westarfolda, Westrachia. XXVII. Pagus Sudergou, Sudercopinga, Sutherlandia, Sudbury, Sudenburgum, Sundgovia, Sunderburgum, Sund-Rhembda. Surlandia, Surgeldersen. Sudeti montes. XXVIII. Normannia, Normanni, Norwegia, Noricum, Norda, Nortburgum, Northusa, Nortlinga, Northemium, Nortstranda. XXIX. Oceani *secundum quatuor cardinales ventos divisio*. Ost-Frisia, West-Frisia. Ostergovia, Westergovia, Austrebandia, Testerbandia. XXX. *Westphalis oppositi* Ostphali, *sive* Osterlingi. *Hierant* Saxones Orientales. XXXI. *Qui &* Austrelendi *sive* Austreleudi, *item* Austrasii *dicti*. XXXII. *Septentrionales Saxones vocati* Nortluidi: XXXIII. *Et* Nordalbingi; *eorumque sedes dicta* Nordalbingia. XXXIV. Westphalia *significat terram ad occidentem*, Ostphalia *ad orientem sitam*. XXXV. *Vox* Westphaliæ *diversimode scripta*. Westfalai. XXXVI. *Quid sibi velit vox* Falai,

Falai. *Hedæ ridiculum etymon a* Flavis. Fale *pullus equinus. Unde sic dictus. An a subrufo colore?* XXXVII. *A quibusdam hoc refertur ad equum Saxoniæ veteris insigne. Equus quomodo in Ducum Brunswico - Luneburgensium & Archiepiscopi Coloniensis insignia devenerit.* XXXVIII. *An hoc Saxonicum insigne ab* Hengisto *&* Horsto? XXXIX. *An* Phali *sint, qui Ptolemæo* Chali *dicti.* XL. *Modeste ab Illustri Conringio dissensum.* XLI. *An* Fal *ex* Feld *corruptum: ut Westphali sint* Westfelder. XLII. *Negatur: quia vox* Feld *vocalem non mutavit.* XLIII. *Forte a* Wallen / peregrinando, *nominati.* Walli *sunt* extranei. *Hinc forte* Wallones *sive* Walones. *Aliud etymon* Wallonum. *An* Phali *olim dicti* socii? XLIV. *An* Westphalia *dicta quasi* Westwaldia? *Germania olim sylvis horrida. Nomina ex* Wald *composita.* XLV. *Quando* Westphaliæ *nomen natum. Fortassis tempore Regum Francorum. An* Westphali *dicti quasi* Westfideles. XLVI. *De pago* Westphaliæ. *Westphalia in plures pagos distincta, quorum aliqua recensentur.*

I.

WESTPHALIA, Germaniæ nostræ provinciæ variis dotibus florentissima præstantissimaque, unde hoc nominis contraxerit, diu quidem est, quod quæsiverint eruditi: sed quia post illorum messem relictum nobis putamus spicilegium, quod denuo hoc agamus, nemo, spero, nobis vertet vitio.

II. Compositum esse vocabulum inter omnes constat, nec quemquam esse reor, qui contrarium voluerit asserere. Multo minus pro voce primitiva habuerimus: utpote qui in his germanica pleraque (si non omnia) monosyllaba esse existimamus.

III. Germanica, inquam, sic comparata, eoque

ipſo Weſtphalicum nomen ex lingua patria ſumtum credimus. Quo ipſo ſtatim indicamus, ab illis nos diſcedere, qui Weſtphaliam ex lingua quavis alia nomen accepiſſe arbitrantur.

IV. Si qui tamen ſunt horum, pauci ſunt: nec memini me apud quemquam fidei auctoritatisve probatæ ſcriptorem legiſſe, quod a *Veſta* Latinorum Dea Weſtphalicæ denominationis petendæ ſint origines. Etſi enim Vir ampliſſimus, ac de Weſtphalica hiſtoria optime meritus, Johannes Juſtus Winckelmannus in *Notitia Hiſtorico politica veteris Saxo-Weſtphaliæ, finitimarumque regionum* lib. I. cap. VI. hujus meminit ſententiæ, tantum tamen abeſt, ut eidem ſubſcribat, ut potius in alia omnia abeat, ac perinde uti nos, Weſtphaliam pro vernacula voce habeat.

V. Ceterum ut ad rem accedamus propius, quin princeps in vocabulo Weſtphaliæ ſyllaba, deſignet ventum occidentalem, quem Latini *Favonium*, & a Græcis mutuata appellatione *Zephyrum* nuncupare ſolent, nulli prorſus dubitamus.

VI. Enimvero ſolenne fuit Germanis noſtris, juxta quatuor mundi plagas, atque ex his orientes ventos, tum majores provincias, tum minora terrarum ſpacia dividere, & ex hac diviſione iisdem terris ac provinciis nomina imponere. Ex quibus nominibus licet nonnulla per temporum injuriam interierint, longe tamen plura adhuc ſupereſſe, tum optima multarum rerum magiſtra docet experientia, tum illuſtribus aliquot exemplis hoc ipſum confirmabimus.

VII. Initium faciemus ab *Auſtria*: non, quæ ho-

hodie illud nomen obtinet (quamquam ex eodem fonte id fluxisse certum sit) sed quæ temporibus Francorum ex Merovingico ac Pipingico sanguine oriundorum Regum ita vocabatur, & fere sub *Austrasiæ* nomine magis inclaruit.

VIII. Et quis est, qui nesciat, quam nostra hac ætate ad antiquum illud & pridem extinctum *Austrasiæ* regnum nonnulli cœperint respicere? qui tamen quale illud olim fuerit, quibus circumscriptum limitibus, & unde traxerit nomen, fortean cum ignarissimis ignorant. Atque utinam Germani omnes cum cura legerent, quæ excellens ille scriptor, qui sub *H. G. C. D. Francopolitæ* persona voluit latere, de regno Austrasiæ commentatus est: cujus scrinia uti compilare nolimus, ita tantum, occasione nunc ita ferente, in natales hujus nominis, ac inde derivatam significationem inquiremus, eoque simul Westphalico nomini aliquam lucem fœnerabimur.

IX. *Austrasiæ* vocem apud antiquiores historiæ Francorum scriptores reperimus sæpius, pro qua etiam apud Aimonium lib. IV. cap. XII. *Regnum Austrasium* inveneris. Hujus regni incolæ *Franci Austrasii*, & simpliciter *Austrasii*, item *Australes Franci* dicebantur. Atque hinc est, quod porro Fredegarius Scholasticus cap. LXXIV. LXXVI. & LXXXVIII. ut & Aimoinus lib. III. c. LXXXIV: lib. IV. cap. XVII. & XIX. *Regnum Austrasiorum*: ac idem ille Aimonius lib. III. cap. XCVIII. lib. IV. cap. I. *Militiam Austrasiorum* advocent. Sic Nithardus *de dissensionibus filiorum Ludovici Pii*, lib. III. *Partem haud modicam Austrasiorum*, ac iterum Aimoinus lib. III.

cap.

cap. XCII. *validam Austrasiorum manum* memorat. Ab eodem Aimoino lib. II. cap. XXV. lib. III. cap. XXVIII. Theodebertus & Childebertus; a Monacho Egolismensi *in vita Caroli Magni*, Childericus, *Austrasiorum Reges*, a Nithardo lib. II. Adelbertus *Dux Austrasiorum* salutantur. Porro Aimoinus lib. III. cap. XIV. inquit: *Universi Austrasii Childebertum puerum in regnum sublimant patris*: & lib. IV. cap. VIII. *Clotharius Dagobertum filium super Austrasios Regem instituit*. Auctor Fragmenti *de Majoribus Domus* Carolum Martellum nuncupat *Principem Austrasiorum*: Pipinum, Aimoinus lib. IV. cap. XX. *unum de potentissimis Austrasiorum*. Denique *Australium Francorum* meminit Auctor vitæ Ludovici Pii: cujus verba afferam: *In eadem villa, Franconoford scilicet, Imperator hyeme exacta Majo mense, conventum habuit Australium Francorum, Saxonum, aliarumque gentium eis collimitantium.*

X. *Austriam* autem pro Austrasia afferunt Fredegarius cap. XLIII. XCIII. XCIV. XCV. XCVII. C. Gesta Francorum epitomata cap. XXXVII. XLI. XLII. XLV. XLVIII. LIII. Auctor Fragmenti *de Majoribus Domus*, Monachus Egolismensis in *vita Caroli M.* Theganus *de gestis Ludovici Pii Imp.* cap. XXII. Aimoinus lib. I. cap. V. lib. IV. cap. I. II. XIV. XVII. XXXVI. Auctor Annalium Fuldensium ad annum IↃCCXIV. Regino Prumiensis *Chronicor.* lib. I. ad an. IↃCCXII. Sigebertus Gemblacensis in *Chronographia* ad an. IↃCXLV.

XI. Quin & *Auster* non raro solet vocitari. Fredegarius cap. XVI. *Theudebertus sortitus est Auster*

ster. c. XXXVIII. *Theudericus cum jam totum Auster dominaret*. cap. XL. *Chlotharius factione Arnulfi & Pipini Auster ingreditur*. cap. XLII. *In Auster Rado hunc gradum honoris adsumsit*. cap. LII. *Cum Dagobertus jam utiliter regnaret in Auster. Ceteris prioribus sublimatis in Auster*. cap. LIV. *Godinus ad Dagobertum Regem perrexit in Auster*. cap. LVI. *Dagobertus universis leudibus, quos regebat in Auster, jubet exercitum promovere. Missos in Burgundiam & Auster direxit*. cap. LVIII. *Dagobertus tanta prosperitate regale regimen in Auster regebat*. cap. LIX. *Cum Dagobertus Auster regio cultu circumiret*. cap. LXXV. *Dagobertus Sigebertum filium suum in Auster regnum sublimavit*. cap. LXXVI. *Auster vero coæquans*. cap. LXXXIII. *Ermenfredus in Auster fecit confugium*. cap. LXXXV. *Nec parvum dolorem ejusdem* (Pipini) *transitus cunctis generavit in Auster*. cap. CX. *Carolus* (Martellus) *primogenito suo Carolomanno nomine Auster & Suaviam tradidit*. Gesta Francorum epitomata cap. XXVII. *Teudoaldus autem Rex filius Teutberti Regis in Auster ægrotans febre valida mortuus est*. cap. XXXII. *Gandoaldus Dux in Auster fugit*. cap. XXXV. *Childibertus Rex in Italiam abiit, rursumque eam ad partem Auster, quam ipse regebat, adquisivit*. cap. XLII. *Dagobertus Sighibertum majorem filium suum in Auster direxit*. cap. XLV. *Franci in Auster propter Childericum legationem mittentes accommodant. Vulfoaldus per fugam vix evasit, in Auster reversus*. cap. XLVI. *Decedente Vulfoaldo de Auster, Martinus & Pippinus dominabantur in Auster*. cap. XLVII. *Ermenfredus*

dus ad Pippinum in Auster fugiens evasit. cap. XLVIII. *Pippinus in Auster consurgens.* Fragmentum de Majoribus Domus: *Pippino in Auster Duce mortuo.*

XII. Jam facile quis haberet suspicari, Austriam & Austrasiam, quæ & Auster (ut vidimus) dicta, ab Austro meridiano vento nomen accepisse, eoque has voces terras designare ad Austrum, sive meridiem vergentes.

XIII. Verum res se habet aliter, ac corrupta hæc sunt vocabula ex germanico Ost, quod Franci clariori sono Aust, pronunciarunt: quo pacto Auster, Austrasia & Austria non significant terras ad Austrum sive meridiem, sed ad orientem solem sitas. Atque hinc est, quod Austrasia, quandoque *Orientalis Francia*, item *regnum Orientale*, & *Osterlandia*, ejusque incolæ *Franci Orientales*, ut & *Superiores Franci*, nec non *Ostro-Franci* & *Osterlandi* audiant. Charta Ludovici Regis Lotharingiæ, in *Glossario* Caroli du Fresne in voce *Austria*: Data *VI. Idus Maji anno Dom. Incarn. 878. anno III. Ludovici in Orientali Francia regnantis.* Regino Chronicor. lib. II. ad ann. ꟾↃCCCLXXVI. *Ludovicus exercitum ex Saxonia, Thuringia, & Orientali Francia congregat.* Francorum Orientalium aliquoties meminit Eginhartus in Annalibus Adelmo vulgo tributis. Sic ad annum ꟾↃCCCLXXVIII. *Rex extemplo Francos Orientales atque Alemannos ad propulsandum hostem festinare jussit.* Et ad ann. ꟾↃCCLXXII. *Rex Adalgiso Camerario & Geiloni — præcepit, ut sumptis secum Orientalibus Francis atque Saxonibus contumacium Sclavorum audaciam comprimerent.* Item

Item ad annum ɪɔccʟxxxv. *Facta est trans Rhenum apud Orientales Francos adversus Regem immodica conjuratio.* Ac iterum anno ɪɔccccxvi. *Saxones & Orientales Franci expeditionem in Sorabos Sclavos facere jussi.* Idem an. ɪɔccccxxii. *Mense Majo conventus habitus, in quo non universi Franciæ primores, sed de Orientali Francia atque Saxonia, Bajoaria, Alemannia, atque Alemanniæ contermina Burgundia, & Rheno adjacentibus regionibus adesse jussi sunt.* Auctor Annalium Francorum Fuldensium ad annum ɪɔccccxxxviii. Imperator (Ludovicus Pius) *Hludovvico filio suo regnum Orientalium Francorum interdixit.* Et ad ann. ɪɔccccʟv. *Principes & Optimates regni filium ejus Hlutharium super se regnare cupientes ad Hludovvicum Regem Orientalium Francorum patruum ejus in Franconofurt eum adducentes.*

XIV. Iidem procul dubio sunt *superiores Franci* Aimoino memorati lib. III. cap. XII. *Collectis*, inquit, *superioribus Francis Austrasiis, collecto etiam suorum adjumento, contra fratrem aciem dirigit.* Ubi vox *Austrasiis* glossema videtur esse ex margine forsan in textum admissum. Gesta Francorum epitomata cap. XXVII. *Regnum ipsius* (Teutberti) *in superiores Francos in Auster Teudoaldus filius ejus accepit*. cap. XXXVI. *Burgundiones & Austrasii, superiores Franci simul commoti.* Sed hic iterum sive *Austrasii*, sive *superiores Franci* videntur abundare. Alioquin Aimoinus *superiores Franciæ partes* pro Austrasia expressit lib. IV. cap. XX. perinde ac Eginhartus in Annalibus ad ann. ɪɔccccxxii. *Orientales regni partes.*

XV. Ceterum patria Francorum lingua *Osterlan-*

landos vocitatos, qui Latine *Orientales Franci* audirent, diserte tradit Auctor Fragmenti de Majoribus domus: *Confluebant ad aulam ipsius universi optimates cunctorum Orientalium Francorum, quos illi propria lingua Osterlandos vocant.* Freherianus codex habet *Osterleudos:* & in margine *Osterlingos.* Annales Francorum Metenses ad ann. IↃCLXXXVIII. *Pipinus Orientalium Francorum, quos illi Osterlandos vocant, suscepit principatum.* Sic Metis, in charta Ludovici Regis supra laudata, *civitas Osterlandiæ* dicitur.

XVI. At vero hæc Osterlandia, quæ voces *Auster, Austriam* & *Austrasiam* peperit, ita fuit nuncupata, respectu *Westerlandiæ, Westriæ, Westrasiæ,* sive *Westrachiæ*, hoc est, partis regni Francici ad occidentem sitæ. Non equidem diffiteor, vix hodie amplius reperiri singula jamjam citata, ex voce West composita; (*) attamen ex his natum esse vocabulum *Neustriæ*, nulli dubitamus asserere.

XVII. Nimirum *Neustria* vocabatur regni Francorum portio ad Occidentem declinans. Auctor vitæ Sigeberti Regis, filii Dagoberti: *Eam partem Franciæ, quæ vergit ad meridiem & orientem, vocabant Austrasiam: eam quæ vergit ad Aquilonem & Occidentem, vocabant Neustriam.* Paulo aliter Aimonius lib. I. cap. V. *Has omnes provincias dum Franci* oc-

(*) Pagi *Westrachi* mentio fit in Actis Ludgeri ap. Leibnit. Tom. I. Script. Brunsvic. p. 102. n. 4. & Pagi *Asterach* f. Ostergau ibid. p. 86. n. 5. & p. 89. n. 15. S.

occupassent, in duas tantummodo partes dividentes, eam quæ Septentrionem versus tenditur, & inter Mosam & Rhenum est, Austriam; illam vero, quæ a Mosa ad Ligerim usque pertingit, Neustriam vocaverunt.

XVIII. Synonyma Neustriæ reperias *Neuster, Nustria, Niustria, Neauster, Neustrasia, Neaustrasia, Neptria* & *Neptricum.* Primum habet Fredegarius c. XLVII. *Dagobertus retinens sibi, quod Ardenna & Vosagus versus Neuster & Burgundiam excludebant.* cap. LV. *Cum Pontifices & universi proceres regni sui tam de Neuster, quam de Burgundia conjunxissent.* Nustriam reperimus in Carmine Abbonis *de obsidione Parisiacæ urbis lib. 1.*

Nobiliusque monasterium cunctis fuit illud
Nustria quæ refovere sinu discebat in amplo.

Ac iterum eodem libro:

Nustria nobilior cunctis regionibus orbis.

Niustriam pro Neustria habent aliquot codices Fredegarii. Apud eundem Fredegarium cap. LXXIV. legas *Neauster. Scaram*, inquit, *de electis viris & fortibus de Neauster & Burgundia cum Ducibus & Grafionibus secum habens.* Idem cap. LXXIX. *Omnes leudes de Neauster & Burgundia Chlodoveum sublimant in regnum.* Neustrasiæ nomen reperimus cap. CX. *Alterum vero secundum filium juniorem, Pippinum nomine, Burgundiæ & Neustrasiæ & Provinciæ præfecit.* In eodem Fredegario exstat *Neaustrasia* c. LVI. *Sed & Neaustrasiæ Pontificum & Procerum plurima pars regnum Dagoberti visi sunt expetisse.*

tisse. Item *Neptria* cap. LXII. *Meroveus secretius jussu Chlotharii in Neptriam perducitur.* Idem *Neptrici* frequentius meminit. c. LVII. *Cum regnum Clotharii tam Neptrici, quam Burgundiæ a Dagoberto fuisset præoccupatum.* cap. LXXVI. *Sacramentis firmaverunt, ut Neptricum & Burgundia ad regnum Chlodovei aspiceret.* cap. LXXX. *Æga inter ceteros primates Neptrici. --- Facultates plurimorum, quæ jussu Dagoberti in regno Burgundiæ & Neptrico inlicite fuerant usurpatæ.* Aimoinus l. IV. cap. I. *Clotharius Meroveum in Neptricum perduci, atque ibi nutriri clementissime mandavit.*

XIX. Hinc & incolas Neustriæ, *Niustrios, Neustrasios, Neaustrasios* dictos esse deprehendimus. Fragmentum *de Majoribus Domus:* Eodem *tempore Theodericus Rex occidentalium Francorum, quos illi Niustrios dicunt, regebat imperium.* Fredegarius cap. LXII. *Æga a ceteris Neustrasiis consilio Dagoberti erat assiduus.* Aimonius lib. IV. cap. XL. *Auxilio ei erant Erchinoaldus Dux cum Neustrasiis.* Fredegarius cap. LXXIV. *Quod Dagobertus consilio Neaustrasiorum adeptus præstitit.* cap. LXXVI. *Dagobertus consilio Neaustrasiorum eorumque admonitione firmare dinoscitur. --- Excepto Ducatu Danzileni, qui ab Austrasiis iniquiter abstultus* (ablatus) *fuerat, iterum ad Neaustrasios subjungeretur.* cap. XC. *Flaochadus cum Clodoveo Rege & aliquibus primatibus Neaustrasiis de Parisiaco promovens. --- Cæteri Duces vel Neaustrasii expectantes eventum.*

XX. Quæ hactenus de Austria sive Austrasia, ut & Neustria in medium attulimus, quod nempe voces

ces istæ ex Ost & West corruptæ terras orientales & occidentales designent, id quoque jampridem alii doctissimi deprehenderunt viri: ex quibus nonnullorum verba adducemus. Joh. Aventinus in Nomenclatura quorundam propriorum Germanorum nominum Annalibus Bojorum præmissa: *Austria Oriens est lingua Germanorum. Inde* **Osterreich**. *Id Orientis regnum.* Ac iterum. **Best / Besten** *est Occidens. Unde Vestria* (**Vesterreich**) *occidentale Francorum regnum. Celtæ in Neustriam corrupere. Inde conjuncti Vestro Goti, Occidentales Goti: Romani Vessogotos appellant & Vestrios, sive Vestriacos.* Idem Aventinus denuo: **Osterreich / Austerreich / Ousterreich /** *id est, Orientale imperium & regnum. Austriam scriptores Romani nominant.* Idem *Annalium* lib. III. *Regnum Rhemense, quod & Mediomatricum est, Sigiberto traditur. Portio hujus regni Aquitania, Turones, Germaniæ, Gallia Belgica prima fuerunt. Austriam quoque vocari reperio, sicut superiora Vestriam; hoc Occidentale Imperium, illud Orientale valet lingua Germanica. Etiamnum in usu sunt ea regionum cognomina, a situ & cæli cardine indita. Verum Celtici scriptores ignari linguæ Francæ, Nestriam, atque Austrasiam, corrupte, ut fit, nuncupant.* Beatus Rhenanus *Rerum Germanicarum* libro I. *Teutonica Francia Austrasiæ quoque nomen habuit: quod vocabulum Gallicani scribæ effinxerunt, quum a Francis ipsis dubio procul* **Ostrich** *vocaretur, id est, orientale regnum. Sicut & Francia Romana, hoc est Gallica,* **Westrich** *dicebatur, id est, occidentale Regnum. Pro Westria, nescio an Galli Neustri-*

am usurparint. A ventis hæc nomina sunt deducta. Reinerus Reineccius Præfatione in Poetam Anonymum de Gestis Caroli Magni: *Ambæ voces linguam Germanicam matrem habent. Nam Austrasia est depravatum* Osterreich, *regnum orientale, Neustria,* Westreich, *regnum Occidentale.* Melchior Goldastus *Alemannicarum Rerum* tomo III. *Antea dictum, & hic rursum monendum, Franciam Orientalem non illam modo significatam videri, quæ hodie ad Mœnum amnem celebris est, sed tractum etiam Helvetiæ & Rhætiæ primæ ferme totum, quem illa ætas & ipsum Franciæ nomine complectebatur. Hujus partem Rheno imminentem Austrasiam vocabant scribæ Gallici, veluti Ostrasiam, hoc est, in Orientem versum incolentes. Nam & Ostro-Francos dictos veteribus in Chronicis legimus Francos Orientales, & Teuthonicos, quoniam Germanica maxime lingua uterentur, interiore Francia interim Romana, quod in ea provinciali lingua uti non desiissent, quali hodie, Gallofranci cognominati utuntur. —— Nec inani conjectura ducitur Rhenanus, Westriam aliquando dictam Franciæ partem, occiduam, quæ hodie corrupte Neustria dicitur. Quondam enim & Gotthi Germania licet longo intervallo dissiti, hisce veluti notis discernebantur, ut qui Orientem versus habitarent OstroGotthi, qui in occidente WestGotthi dicti fuerint.* Ost *enim Germanice Eurum,* West *Favonium significat.* Hugo Grotius in elegantissimis ad Procopium aliosque Historiæ Gothorum scriptores prolegomenis: *Austravia Plinio, id est Oosterau, terra Orientalis ea est, quam nunc Estoniam dicimus, pronuntiatio-*

tione ad Saxonicam propius accedente, ut mox dicetur. Nam eandem esse Austraviam Plinii, quæ nunc, ut dixi, Estonia, olim Estiorum terra, dubitare nos non patitur succinum, quod in Austravia legi dicit Plinius, apud Estios Tacitus, & ipsi Estii in epistola ad Theudericum, Oostryck, quod Latini Austriam, aut Austrasiam scribunt, id est regnum Orientale dictum Galliæ populis Mediomatricum regnum, Germanis vero sic appellata Parnonia, parique modo Æstii dicti a Sveonibus qui ipsis ad ortum sunt, Saxone interprete. Nam Orientis vocabulum erant qui Æst pronuntiarent, unde Saxonibus Æstsexia, alii plenius Oost eloquebantur; unde Pytheas apud Strabonem hos dicit Ostiæos, Ostiones, Stephanus; eadem terra Austravia Plinio; ut Austrogotthi Vopisco, qui vulgo OstroGotthi. Idem: *Neque vero major in his vocabulis facta mutatio, quam cum Latini posteriores ex Westreich Neustriam fecere.* Christophorus Browerus *Annalium Trevirensium* lib. V. *Austrasiæ voci notionem haud eam certe subjectam, quam vulgus ab Austro vel meridie potius arripit, doceant antiqui rerum Francicarum scriptores, qui incolas Austrasiæ modo Francos Orientales, modo Galliæ interioris respectu superiores dixere.* Hadrianus Valesius *Rerum Francicarum* lib. VII. *Austriam vel Austrasiam appellavere Franci partem Galliæ ad orientem Solem, meridiemque spectantem, quæ Rheno & Mosa fluminibus continetur, cum Transrenanis gentibus Francicæ ditionis; partem ad septentriones occasumque Solis vergentem, quæ inter Mosam & Ligerim interjacet, Neustriam vel Neustrasiam, nonnunquam Ne-*

ptricum vel Neptriam vocavere. Carolus du Fresne in Glossario: *Austria, Austrasia, dicta ea pars Galliæ, quæ cis Rhenum sita est, quod ad orientem sit respectu Neustriæ, quæ est ad Occidentem. — Austria igitur ea pars dicta, quæ ad Orientem erat, unde Orientalis Francia non semel appellatur, in qua & Metensis civitas statuitur.*

XXI. Nescio igitur, quid in mentem venerit Francisco de Rosieres, qui Austrasiam a Duce quodam, cui nomen *Austrasii* adhæserit, ita vocatam asserit. Licet enim non ignoret, ab aliis hanc vocem accipi de regno Francorum Orientali, atque id etiam arguant sequentia præfationis in tomum IV. *Stemmatum Lotharingiæ Ducum*: Alii *plane sentiunt, Austrasiæ nomen usurpatum fuisse, quasi Francorum, sicuti dicitur OstroGothorum, Orientale, & VisеGothorum, regnum occidentale*; tantopere tamen sibi placet in Duce suo *Austrasio*, ut eundem aliquoties in scenam producat. Nam sic eadem præfatione commentatur: *Franci Lotharingiæ Rectores Ducesque constituerunt, in quo Austrasius primus tenuit principatum, a quo cum Clodoveus Rex e vivis excessisset, Austrasiæ cepit denominationem.* Et initio hujus IV. tomi: *Theodoricus Clodovei Francorum Regis primogenitus, majori Galliæ Belgicæ parte ditatus, quam Austrasius gubernabat, (a quo & Austrasia, ut diximus, nomen cepit) Metim ut plurimum tanquam ejusmodi regionis caput incoluit, indeque Austrasiæ etiam Metensium Reges sunt nominati.* Ac iterum alibi eodem tomo: *Austrasius Landonis filius Tongrorum & Brabantiæ Dux sub Childerico & Clodovæo Fran-*

Francorum Regibus Belgo jura dedit, a quo Austrasia dicta est.

XXII. Hæc autem divisio terrarum in orientales & occidentales cum Austriæ & Neustriæ vocabulo non modo in Francicis, sed etiam in Longobardicis Italiæ locum habuit. Sic enim in legibus Longobardicis edixit Rachis Rex: *Ego divino auxilio fretus Rachis — dum cum gentis nostræ, id est Longobardorum judicibus, tam de Austriæ, quam de Thusciæ vel Neustriæ finibus &c.* Et Rex Rotharis lib. II. tit. XXI. lege XXIV. *Si in Istria aut Austria fuerit, amittat ipsa pignora. — Si vero in partibus Tusciæ fuerit.* Item Rex Liutprandus lib. II. tit. LX. leg. XIV. *Si de longinquo sunt, quomodo de Tuscia, vel de Austria.* Ac Pipinus quoque lib. I. tit. XXIV. lege LXXIII. *Hoc damus in mandatis, ut tam in Austria quam in Neustria perquirantur fugaces.*

XXIII. A Francis & Longobardis ad Gothos nos convertimus, quos in Ostro-Gothos & Westro-Gothos, & corrupte Visi Gothos fuisse distinctos certum est. Jornandes Episcopus in *de rebus Getticis* cap. XIV. hanc in rem Ablavium quendam, antiquum scriptorem, laudat. *Ablavius historicus refert* (Jornandem exscribimus) *quia ibi super limbum Ponti, ubi eos diximus in Scythia commanere, pars eorum, qui orientalem plagam tenebant, eisque præerat Ostrogotha (incertum utrum ab ipsius nomine, an a loco Orientali) dicti sunt Ostrogothæ, residui vero Wesegothæ in parte occidua.* Sic ipse postea Jornandes fine capitis XXIV. *Cujus mortis occasio dedit Hunnis prævalere in Gothos illos, quos dixeramus*

Orientali plaga sedere, & Ostrogothas nuncupari. Et initio sequentis capitis: *Wesegothæ, id est, alii eorum socii, & occidui soli cultores.* Adamus Bremensis *de situ Daniæ & reliquarum septentrionis regionum:* Ex ipsis *populis Suediæ proximi ad nos habitant Gothi, qui occidentales dicuntur, alii sunt Orientales. Verum Westergothia confinis est provinciæ Danorum, quæ Sconia dicitur. — Deinde Ostrogothia protenditur juxta mare, quod Balthicum dicitur, atque ad Birkam.* Quam autem hæc distinctio in Ostro-Gothas & Westro-Gothas egerit radices, vel ex eo liquido apparet, quod nondum illa plane interierit; quippe qui in regno Sueciæ singulares provincias *Ostrogothiæ*, ac *Westrogothiæ* nomine insignes reperimus. Præterea Jutiam sive Jutlandiam in Osterjytland, & Westerjytland divisam, Hugo Grotius in Prolegomenis ad Historiam Gothorum annotavit.

XXIV. Ipsam quoque Thuringiam nostram secundum quatuor orbis plagis fuisse divisam, ac Ditmarum Præsulem *Australis Thuringiæ* (quæ forte ipsa illa, quæ hodie sic dicitur Osterlandia, ac nunc Misniæ pars est, olim *Orientalis terræ* appellatione clara) multa autem antiqua diplomata *Nort-Thuringiæ* sive Septentrionalis, mentionem facere, jam in *Antiquitatibus Thuringicis* ostendimus.

XXV. Quid? quod tot supersint provinciæ, urbes, vici ac pagi ex quatuor illis plagis denominatæ, ut vel sola illa nomina utramque implere possint paginam. Quæ nobis nunc succurrunt, cum venia lectoris, afferemus. Ita ævo Carolingico, & forte

jam

jam ante, sinus maris Balthici ad Orientem versus dicebatur *Ostersalt*. Eginhartus in Annalibus ad annum ɪɔcccviii. *Godefridus limitem regni sui, qui Saxoniam respicit, vallo munire constituit, eo modo, ut ab orientali maris sinu (quem illi Ostarbsalt) dicunt, usque ad occidentalem Oceanum, totam Egidoræ fluminis aquilonarem ripam munimentum valli prætexeret.* Eadem fere verba reperias in vita Caroli Magni a monacho Egolismensi descripta, ut & in Chronico Reginonis: ubi tamen in editione Pistorii habetur *Hosarsalet*: jamque Gerhardus Johannes Vossius lib. II. *de Vitiis Sermonis*, cap. XIV. observavit, *Ostersalt*, vel *Hostarsalet* legendum. Adamus Bremensis *de situ Daniæ* meminit civitatis Russiæ *Ostrogard*. Huc referas *Ostendam* munitissimam urbem Flandriæ maritimam: *Osterach* in ditione Abbatis Salmanswilani: *Osterburgum* oppidum veteris Marchiæ Brandenburgicæ, beati Parentis mei patriam: *Osterfeldam*, in diœcesi Numburgensi: *Osterbosam*, in Bavaria inferiori: *Osterhusam*, inter Islebiam & Alstetum: *Osterrodam*, caput Ducatus Grubenhagici: *Ostertonnam* in Thuringia nostra: *Osterwicum* in Principatu Halberstadensi: *Osterwitzium* arcem montanam in Carinthia: *Osthemium* in Franconia. Etiam vir inclytæ memoriæ Bilibaldus Pirckheimerus sylvam *Odenwald* in Palatinatu Rhenano non ab Oddone quodam, sed a Germanico Ost derivat. Verba ejus ex epistola ad Beatum Rhemanum perscripta subjicio: *Deceptus est optimus ille amicus noster Celtes, in quibusdam, quem & tu in Oddonis sylva sequeris, cum non ab Oddone, sed ab Orien-*

te Osterwald / *quemadmodum ab occidente* Wester-wald / *nomen sortita sit.*

XXVI. A vocabulo West / non modo *Wester-waldia*, cujus meminit Pirckheimerus, nomen suum contraxit; verum etiam *Westerburgum*, natalitia unius familiæ Comitum Leiningensium domus; ut & arx Oldeburgica ad Huntam fluvium: item *Westcap-pel*, vicus in Seelandia: *Westernizium*, oppidum Moraviæ: *Westerwickum*, in Smalandia Sueciæ provincia: *Westgreusa*, in ditione Comitum Schwarzburgicorum in Thuringia: *Westhosia*, oppidulum Hanoviæ Comitum in inferiori Alsatia: *Westmünster*, in Anglia. Eginhartus in Annalibus suis ad annum DCCCXIII. memorat Danicam provinciam *Westarfol-dam*, eandemque sic describit, *quod sit ultima regio regni eorum inter Septentrionem & Occidentem sita, quæ contra Aquilonem Britanniæ summitatem respiciat.* Consentientem ad eundem annum habet Regionem, nisi quod *Westerfald* appellet. Idem lib. I. Chronicorum *Westrachiæ* meminit, in quam *Carolus* Martellus *venerit, eamque suæ* ditioni subjecerit. (*)

XXVII. Vocem Sud deprehendas in veteri pago *Sudergou*, cujus meminit Auctor vitæ B. Ludgeri, (†) in *Sudercopinga*, urbe Sueciæ; in *Sutherlandia*, Scotiæ provincia: in *Sudbury* oppido Angliæ: in *Sudenburgo*, Magdeburgensi suburbio. Forte etiam plura nomina a *Sund* incipientia ex *Sud* corrupta sunt:

(*) v. supra dicta ad §. 16.

(†) Libro III. n. 2. ap. Leibnit. T. I. Script. Brunsv. p. 94. iterumque d. l. n. 21. p. 97.

sunt: ut eo ipsam provinciam *Sundgoviam*, *Sunderburgum* in Holsatia, *Sand-Rhembdam* pagum in Thuringia retuleris. Nec minus alia a *Sur* incipientia hos natales arguerint. In *Surlandia* regione Westphaliæ id certum esse reor: quippe quod procul dubio ex *Suderlandia* coaluit. Sic memini pagum Ducatus Luneburgici haut procul Luneburgo urbe Sutgelderſen vocari, hoc est Sudergelderſen/ a quo haut procul dissitus est alius pagus Westergelderſen. *Sudetorum* montium nomen inde arcessit Caspar Peucerus lib. IV. *Chronici Carionis* sic scribens: *Sudetorum montium, qui hodie Bohemiam & Misniam disterminant; denominatio est, ut situs Austro respondens: quem* Sud *Germani vocant, non alieno vel absurdo etymo; quum respectu saltus Hercinii, qui in Bohemia assurgit, dimittant sese in meridiem.*

XXIIX. Denique *Normanniam* & *Normannos*, *Norwegiam* & *Norwegos* plagæ Septentrionali, quam Germani Nort appellant, suum debere nomen, extra controversiam positum esse autumo. Hinc Aventinus in Nomenclatura illa: Nord/ Nard/ *Aquilo est, ac Septentrio. Nordmann, Aquilonis vir. Nordmannus & Nordbec, Aquilonis vir. Norge, Nardge, Aquilonis terra.* Ipsius quoque *Norici* etymon inde repetit Philippus Melanchthon, cujus hæc sunt verba: *Est autem Etymologia Norici a* Nort/ *id est, Septentrione*, am Nort/ oder Nach *Arcto*: lib. I. *Chronici Carionis.* Et Hugo Grotius in illis Prolegomenis: *Longius sitis Europæ populis omnes qui Scanziam incolunt bono jure dicti septentrionales, id est, Germania sermone Nortmanni sive Nortlendi:*

quo-

quomodo & Noricæ Alpes Noricique populi ab iis, qui ad Adriam colunt, nomen ex situ accepere ipsis pronunciatum Noordryck. Huc porro referas *Nordam*, orientalis Frisiæ civitatem: ***Northburgum*** in Holsatia: ***Northusam*** & ***Nortlingam*** liberas Imperii urbes: ***Northemium***, aliud in Brunswicensi Ducatu, aliud in Hennebergicis: ***Nortstrandia***, Ditmarsiæ portio. (**)

XXIX. Huc accedit ipsius Oceani secundum quatuor capitales ventos divisio: **die Ost- West- Syder- und Nord-See**: itemque Frisiæ in orientalem ac occidentalem distinctio, **Ost- und West-Frießland** / & in ipsa Orientali Frisia *Ostergovia* & *Westergovia*. Nec minus ex **Ost** & **West** corrupta sunt *Austrebandia* & *Testrebandia*, ex **Osterbant** / & **Westerbant**: quorum alterum provincia Belgii inter Scaldim & Scarpam fluvios, cujus caput Bochanium (Bouchain) alterum Comitatus: cujus Comitum haud infrequenter meminit historia Ultrajectina.

XXX. Sed ut ad Westphalos regrediar, observatu utique est dignissimum, quod illis oppositi Saxones versus orientem colentes *Ostphali* sive *Ostfali*, & *Osterlingi* fuerint dicti. Poeta anonymus *de gestis Caroli Magni* lib. I. ad annum DCCLXXV.

- - - Regionum Solis ad ortum
Inhabitant Osterlingi, quos nomine quidam
Ostvalos alii vocitant.

E-

(**) In iisdem, quæ citavimus, Actis Ludgeri L. III. n. 1. p. 94. pagi *Nortgo* memoria extat.

Eginhartus in Annalibus ad annum ɪↃccʟxxv. *Rex* (Carolus) *amne transjecto, cum parte exercitus ad Ovacrum fluvium contendit: Ubi ei Hessi unus ex primoribus Saxonum, cum omnibus Ostfalais occurrens, & obsides, quos Rex imperaverat, dedit. - - Inde regressò, cum in pagum, qui Buki vocabantur, pervenisset, Angarii cum suis primoribus occurrerunt: & sicut Ostfalai, juxta quod imperavit, obsides ac sacramenta dederunt.* Regino ad eundem annum interpretatur *Saxones orientales.* Verba Abbatis hæc sunt: *Tunc Rex dividens exercitum, sumpsit secum partem, perrexitque usque ad Obacrum fluvium: ubi omnes orientales Saxones venientes cum Hassione Duce eorum, dederunt obsides. — Simul eo revertente venerunt Angarii in pagum, qui dicitur Bucki, una cum Brunone Duce eorum, & fecerunt, sicut orientales Saxones fecerant.* Eginhartus ad ann. ɪↃccʟxxɪx. *Rex Westfalaorum regionem ingressus, omnes eos in deditionem accepit: inde ad VVisuram veniens, castris positis in loco nomine Nudufulli, stativa per aliquot dies habuit. Ibi Angarii & Ostfalai venientes obsides dederunt.* Egolismensis monachus: *Rex consilium iniit, ut per Toringiam de Orientali parte intraret super Ostfalaos.* Regino ad annum ɪↃccʟxxxɪv. addita aspirata *Hostfalos* vocat. *Ipse*, inquit, (Carolus) *per Thuringiam ab orientali parte intravit super Hostfalos. Porro filium Carolum dimisit cum valida manu contra VVestphalos.* Eodem anno *Orientalium Saxonum* meminit Eginhartus. *Depopulatis orientalium Saxonum agris, ac villis incensis de Schannico (hoc enim erat nomen loci)*

in Franciam regressus est. Ut & Monachus Egolismensis in vita Caroli Magni: *Quia castrum Hohbuoki Albiæ flumini appositum, in quo erat Odo legatus Imperatoris, & orientalium Saxonum præsidium, captum est a Wilzis.* Capitulare Caroli M. anno IↃCCXVII. *Congregatis Saxonibus de diversis pagis, tam de VVestfalahis, & Anagrariis, quam de Ostfalahis omnes unanimiter consenserunt.* Ex junioribus hos Ostphalos agnoscit Reinerus Reineccius *de origine Misenorum*: Hoc *VVestphalorum nomen mansit ex veteri divisione, qua Saxones juxta Veseræ cursum semetipsos discriminarunt. Nam qui ab Albi ad Veseram usque consedere, Ostvalos se sua lingua nominarunt, reliqui, qui ad Rhenum usque se dilatarunt, VVestphalos.* Ab his Ostphalis procul omni dubio nomen habuit locus *Ostfalaa*, ubi Ludovico obviam factus est Patris Caroli Magni nuncius circa annum IↃCCXCIX. Sic enim habet Auctor vitæ Ludovici Pii: *Quod ipse agere festinans, ad Nusciam venit, Renum ibidem transiit. Patri concurrere accelerabat, sed antequam ad eum veniret, nuntio obviavit paterno, in loco, cujus vocabulum est Ostfalaa.*

XXXI. Et hi ipsi Ostphali non dubium est, quin sint illi *Austrelendi*, sive *Austreleudi*, quorum mentionem facit monachus Egolismensis in vita Caroli Magni: *Et Domnus Rex Carolus diviso exercitu suo sumpsit secum quos voluit, & perrexit usque Obacorum fluvium, ibique omnes Austrelendi Saxonum cum Assione Duce venientes dederunt obsides juxta quod placuit, & juraverunt sacramenta.* Eosdem *Austrasios*

sios vocat Auctor Annalium Francorum ab Henrico Canisio in *Antiquis Lectionibus* editus. *Venerunt*, inquit, *Angarii in pago, qui dicitur Bucki, una cum Brunone, & reliquis optimatibus, & dederunt ei obsides, sicut Austrasii.*

XXXII. Supra hos Ostphalos & Westphalos, hoc est orientales & occidentales Saxones, habemus etiam Septemtrionales, qui *Nortluidi*, sive, ut alii volunt, *Nortlindi*, dicebantur. De his Eginhartus ad annum ıↄccxcıx. *Misit interea Carolum filium suum ad Albim cum parte exercitus, propter quædam negotia cum Wilcis & Abodritis disponenda, & quosdam Saxones de Nordluidis recipiendos.* Monachus Egolismensis: *In ipso Pascha tempore Nortliudi trans Albiam sedentes legatos ejus occiderunt. ---- Nortliudi cum Traſicone Duce Abodridorum prælio victi sunt.* Idem: *Domnus Rex profectus in Saxoniam transiit Hrenum ad Lippiam, & in Padabrunno positis castris, inde Carolum filium suum cum medietate exercitus direxit ad Sclavorum colloquium, & ut reciperet Saxones, qui de Nordliudis in Bardingavium venerant.* Regino ann. ıↄccxcvııı. *Nortluidi* (in Pistoriana editione perperam excusum, *Nordiveli*) *trans Albiam sedentes legatos regios comprehenderunt.* Et ad annum sequentem: *Rex Saxoniam ingressus apud Paderbrunnam castris positis consedit, & inde diviso exercitu, Carolum filium suum cum medietate ad colloquium Sclavorum, & ad recipiendos Saxones, qui ex Nortlindis venerunt, in Bardengaui direxit.*

XXXIII. Quia etiam hi Saxones inhabitarunt terras, Albi proximas, *Nordalbingi*, perinde ac illorum pa-

patria *Nordalbingia*, vocabantur. Horum *Nordalbingorum* & *Nordalbingiæ* aliquoties meminere Adamus Bremensis, Helmoldus Bosoviensis, Albertus Stadensis, aliique rerum Septentrionalium Scriptores. Optime igitur Petrus Lambecius in *Originibus Hamburgensibus* pag. XIV. *Sita illa est* (de Hamburgo loquitur) *ad fauces Cimbricæ Chersonesi in ultima Saxoniæ parte, quæ ab Alberto Stadensi Transalbiæ, ab Eginharto Transalbiana Saxonum regio, a plerisque vero, antiquis auctoribus Nordalbingia appellatur: quippe quæ trans Albim in Septentrionem protenditur. Hac re passim in antiquis monumentis Hamburgum vocatur sedes & civitas Nordalbingorum.*

XXXIV. Sic igitur, ut tandem hoc argumentum absolvamus, prima syllabarum in *Westphalia* notat terram ad occidentem sitam; uti contra *Ostphalia* ad Orientem. Consentit Andreas Althammerus in Commentario ad Taciti Germaniam: *Ipsa Westphalia*, inquit, *veteris Saxoniæ pars sic appellata, quod Occidentalis sit. Nam qui ultra Visurgim fluvium orientalem plagam occupant, Ostvali Saxones cognominantur, ab Ost vento orientali. Ætas id nominis obolevit. Sic Westvali, qui citra Visurgim versus Occasum habitant, ab VVest, occiduo vento nuncupantur.* Quid vetat etiam germanica quædam adscribere ex Wigandi Gerstenbergeri *Chronico Franckenbergensi?* Ob nun jemand gern wissen wolte: Warum alt Sassenland zu dieser Zeit genennet wird Westphalen / der sol glaublich wissen / daß dasselbige Land von ersten geheissen hat Sassenland / dar-

nach

nach Alt-Sassen / oder West-Sassen / darum daß das Land nach Auffgang der Sonnen genant wird Ost-Sassen.

XXXV. De priori syllaba in voce Westphaliæ satis, & fortean plusquam satis. (†) Pergimus ad alteram, quæ diversimode scribitur. Nam & *Westphaliam*, & *Westfaliam*, & *Westvaliam* reperimus. Ac notandum est porro, scriptores Historiæ Francorum passim *Westfalaos* pronunciare, qui contracte nunc Westphali audiunt, perinde ac in Ostphalis id paulo ante vidimus. Ita Eginhartus anno ɪↄccʟxxv. *Westfalaorum obsidibus acceptis ad hyemandum in Franciam revertitur*: ubi Freherus in margine notavit: *Westfalai, qui nunc Westfali.* Anno sequenti Eginhartus vocat Witichindum *unum ex primoribus Westfalaorum.* Idem anno ɪↄccʟxxix. *Rex Westfalaorum regionem ingressus omnes eos in deditionem accepit.* Anno ɪↄccʟxxxiii. *Rex audivit Saxones in finibus Westfalaorum super fluvium Hasam congregari.* Et ad sequentem annum: *Rex vastatis VVestfalaorum pagis venit ad VVisuram.* Ac iterum: *Rex filium suum Carolum cum parte exercitus in VVestfalaorum finibus sedere jussit.* Annales Francorum Fuldenses ad annum ɪↄccʟxxxiv. *Carlus junior a patre cum exercitu in Saxoniam missus, Westfalaos in prælio superavit & domuit.* Egolismensis Monachus: *VVestfalai congregaverunt se ad Lippiam.*

XXXVI.

(†) Ita est. Neque enim quisquam rem, adeo luci expositam, in dubium vocabit. S.

XXXVI. Quid jam sibi velit vox *falai*, venit in controversiam. Ridiculum est (*) Wilhelmi Hedæ Præpositi Arnhemensis etymon, qui Westphalos dictos censet, quasi *occidentales Flavos*. Sic enim scribit in Friderici LI. Episcopi Ultrajectini historia: *Anno* ciↄccccxciv. *potenter intrat provinciam olim VVestphalorum, sive verius, Occidentalium Flavorum: unde Longobardos prodiisse volunt, quorum Reges sese Flavios idcirco prænominavere.* Et merito has nihili argutias in Notis ad Hedam ridet elegantissimus Ictus Arnoldus Buchelius. Sunt qui putant designare *equum*, vel *equinum* potius *pullum*. Certum enim est, inferioribus Saxonibus pervulgatam esse vocem **en Sale /** pro *pullo equino*, quem alibi vocant **enen Solen /** & Misnenses aliique **ein Süllen.** Unde vero id nominis acceperint pulli apud Saxones, me ignorare fateor. Philippus tamen Camerarius in *Horis subcisivis* Centur. II. cap. XCI. a subrufo colore etymon videtur repetere. *Sane*, inquit, *Valii equi quos olim Gothi, & hodie Germani* **Valchen /** *a subruffo colore vocant, olim in magno pretio, & præ reliquis commen-*

(*) Magis ridicula & plane anilis Engelhusii est derivatio, qui in Chron. sub Imp. Leone IV. p. 1061. (Edit. Leibn.) ita somniat: Westphalos, ait, Carolus (Magnus) nominavit, quasi *Westenfeilden*, quasi Occidentales fallunt, fidem derelinquentes Sæpius enim fidem promissam infringentes, relapsi sunt ad idola. Versus:

Westphalus à fallo de Feylen dicero mallo
Westphalus est sine VE, sine PA, sine PI, sine VERE.

Hactenus nugivendulus. S.

mendati fuerunt. Probat autem hos Westphalici nominis natales Althammerus, ac verbis paulo ante laudatis subjicit: *Et Valen, quod Saxonibus sua lingua pullum significat.*

XXXVII. Sed quid pullus equinus ad Westphalos? An dixeris hanc Saxoniæ partem olim equas habuisse præ ceteris fertiliores? Verum tunc idem ut de Ostphalia asseras, necessum est. Quamobrem aliis placet hoc nomen referre ad equum Saxoniæ veteris insigne, quem olim nigrum, sed a converso ad Christianismum Wittekindo album fuisse volunt. Albertus Krantzius *Saxoniæ* lib. II. cap. XXIV. *Armorum insignia quæ militaribus (ut fit) signis præferebat, pullum equinum habebat atrum: sed placuit Regi, postquam de tenebris gentilium errorum pervenit in lucem veritatis, ut candidum acciperet.* Martinus Hamconius in *Frisia* sua:

--- Sed equus datus ater & huic est
Nomen avi, sortemque notans: quem Carolus Album
Fecit; ut e sacro VVitekindum fonte levasset.

Confer Petri Albini *Album* (uti vocat) *Saxonicum* Germanice scriptum. Vetus utique tam de equo Saxonum insigni, quam de mutato ejus Witikindeis temporibus colore est traditio: quam tamen utinam antiquioribus liceret confirmare testibus. At enim argumentum hujus rei non leve puto, quod equus ejusmodi tum inter Serenissimorum Ducum Brunswico-Luneburgensium, tum Archiepiscopi & Electoris Coloniensis insignia compareat. Isti enim il-

lum dubio procul acceperunt a Celsissimis satoribus Henricis, Superbo & Leone, supra avitum Bojaricum Saxoniæ Ducatu auctis: hi a Philippo Præsule, qui post proscriptum Henricum Leonem Westphaliæ Ducatum sibi vendicavit. De equo Ducum Brunswico-Luneburgensium jam pridem aliquid dixi in *Historia Bardewici*, meamque sententiam ex asse secutus est Jacobus Andreas Crusius in *Wittikindo* suo. Non aliam equi in clypeo Coloniensi originem agnoscit Reineccius, cujus hæc sunt in libello *de Origine Misenorum:* Quemadmodum *indoctos quosdam & imperitos experimur, Westphalos a Saxonibus separare: quod nomen hoc ab illis non usurpetur: cum tamen ex historiis constat, Saxonum nomen non solum Caroli Magni ætate, sed quoque diu post usque ad tempora Friderici Barbarossæ, ubi Principatum Westphaliæ & Angariæ Coloniensis Archiepiscopus, Henrico Leoni ereptum, a Saxonia avulsit; unde in hodiernum usque diem veteris Ducatus Saxonici insignibus, albo nimirum equo utitur — Westphalis quoque attributum fuisse.* Confer Speneri *Heraldica lib. III. c. VIII.*

XXXVIII. Quando autem antiqui Saxones typum equi nigri clypeis suis cœperint appingere, nondum liquido constare arbitror. Quod si tamen *Hengistus* & *Horstus*, quibus ducibus primum Saxones in Britanniam coloniam deduxisse feruntur, ab hoc picto equo nomen acceperunt, utique equum vetustissimum hoc gentis Saxonicæ insigne esse, nemo præfracte negaverit. Hanc in rem ita disserit Gobelinus Cosmodr. æt. VI. c. XXIV. *Duces exercitus il-*

illius, qui de Saxonia in Britanniam profectus est, filii Ducis Angariæ sive de Engere fuerunt: quorum unus, ut dicit Beda, vocabatur Hengist, & alter Horsa: quorum nomina quodlibet sonat lingua vulgari equum regium, egregii roboris & decoris. --- Et inde forte est, quod arma quorundam Ducum Saxoniæ sunt equus albus, quoniam ab antiquo talia arma a suis progenitoribus acceperunt. Sic Petrus Albinus in *Albo Saxonico:* Equus *antiquæ familiæ Saxonicæ, quam hodie Wittikindeam appellamus, gentilitium est insigne. --- Etsi autem dinastiæ vel Principatus illi, ad quos hoc vulgo refertur, in Westphalia siti, (quas terras Wittikindea familia id temporis cum Saxones inferius ad Albim sederent, nondum in suis habuere manibus) contra opinantur tamen Viri præstantissimi, hoc ipsum insigne etiam proprium Saxonicæ genti in Holsatia & Anglia (quæ Jutiæ finitima) olim fuisse: utpote ex quo antiqua illa nomina Hengisti & Horsti, quorum utrumque veteri Germanorum dialecto equum denotant, significationis ergo sumpserint: quodque ex Holsatia & ab oceano & Albi in Westphaliam deduxerint, ac tandem dynastiæ Angariæ applicuerint: ubi temporibus Christianis est immutatum.* Putat nimirum Albinus, longe antequam Saxones in Westphaliam concesserint, equino insigni usos: idque vel ex Hengisti & Horsti nominibus constare: post idem insigne fuisse Saxonum Westphalicorum, ac speciatim Angariæ, familiæque Wittikindeæ. In eandem sententiam Spenerus, qui & ipse ad Albinum provocat, sic scribit loco paulo ante laudato: *Equus hic Saxonum tessera fuit, vel Saxonicæ familiæ ab Hen-*

gisto & Horsto derivatæ. Quæ si recte capio, hoc insigne, vel commune genti Saxonicæ, vel tantum familiæ inter Saxones ab Hengisto & Horsto derivatæ proprium fuisse declarant. At vero si posterius placuerit, longa utique demonstratione fuerit opus, Wittikindeam gentem, cui gentilitium fuisse volunt insigne equi, ab Hengisto & Horsto descendisse. Scio quidem quid de antiquioribus Saxonum Regibus Wittikindi majoribus alii commententur: verum quam lubrica sint illa & incerta, apprime novi, ac nescio annon gloriam illam, quam fœnerari eo ipso cupiunt illustribus familius, haut parum obscurent.

XXXIX. Ceterum si Phali jam Ptolomæo sub nomine *Chalorum* innotuerunt, ac porro nomen Phalicum non aliam habuerit originem, quam equinum Saxonum insigne, & gentis Westphalicæ denominatio & hæc insignia longa multorum sæculorum antiquitate superbient. Num ante Conringium quis alius hujus opinionis auctor fuerit ignoro: hic certe illustris vir eandem in eleganti libello *de antiquissimo Helmstadii statu* proposuit, ac alibi eandem pluribus se confirmaturum promisit. *Phalos,* inquit, *non alios videri ab illis, qui in Ptolomæi codice inter Cimbricæ Chersonesi incolas Chali leguntur, orta a pullo equino denominatione, qui & fuit antiquissimum insigne gentis hujus, non minus atque illorum Saxonum, qui in Britannia Cantium incoluerunt, Hengesto & Horsa ab equino genere, itidem cognominatis Ducibus istuc deducti; altero signo illo draconis & leonis cum supervolante aquila, cujus VVittkindus me-*

meminit nonnisi in sacros usos adhibito: hoc inquam suo loco in tempore probabitur.

XL. Elegans sane hæc est conjectura, quam utinam ante fata sua luculentius comprobasset Vir incomparabilis. Neque suis tamen illa caret scrupulis; cum non immerito dubitem, an ex illa Chalici Phalicique nominis qualicunque similitudine ad Ostphaliæ Westphaliæque denominationem tuto liceat progredi. Huc accedit, quod vix inveneris nobiliores populos Germaniæ, qui ab insignibus animalium nomen suum acceperint.

XLI. Simplicius igitur etymon quæsiverunt alii; & primo quidem vocem *Phal* a *Felt* corruptam censuere: sic ut Ostphali & Westphali essent **die Ost- und West-Felder:** quorum scilicet terræ partim ad orientem, partim ad occidentem solem essent sitæ. Huic sententiæ adstipulatur quisquis est Chronicorum urbis Coloniensis collector, qui sæculo decimo quinto exeunte floruit, suumque opus inscripsit: **Die Cronica vàn der Hilliger Stat von Coellen.** Folio autem CXIIII. b. hæc habet: **Van dem Underscheid der Sassen ind Westfeldinge.** Sassenlant, als schrypft Henricus van Hervort hait sych vurmails gestreckt van der Elben bis up den Ryn. Als men dat mach nemmen vyß der legende der Hilliger Ewalden. Disse vurß Lantschafft deilt eyn Wasser ind heischt die Weser die Lantschaff van der Elbe biß an die Weser hiesch Oistvelt. Want idt was gelegen Oistwart. Ind die Inwoner hieschen Oistveldinge off Sassen. Die ander Landschaff van der Wesser bis an den Ryn hiesch Westvelt. Ind die

Inwoner hieschen Westfelding. Want dat deyll landes lach Westwart. Desgelichen hait men auch hudedesdages. Eyn deyll heischen Oistfriessen. Ein deill Westfriessen. Mer nu tzertzyt noempt men schlechtlich dat Lant tuschen der Weser und der Elbe Sassenlant. Ind dat Volck Sassen ind die gene dye wonen van der Weser tzo dem Ryn wart die heischt men Westfeldinge. Ad hanc etymologiam vocis Westphaliæ procul dubio respicit Wernerus Rolevinck de Laer Carthusianus monachus in opusculo *de laudibus VVestphalorum* cap. 2. sic scribens: *Quidam putantur quod sic dicti sint* (Westphali) *a quodam campo occiduo, sicut VVesterwalder a silva nomen traxerunt.*

XLII. At hanc conjecturam quo minus approbemus, facit germanicum illud vocabulum Feld: quod nunquam in Fald degenerasse putamus. (*) Unde Aimoinus *de gestis Francorum* lib. II. cap. XIII. diserte scribit: *Quo tempore Longobardi relicta Rugorum patria venerunt in campos patentes, qui sermone barbarico* Felth *appellantur, manseruntque ibi.* (**) Neque etiam puto, vel terrarum vel urbium & opi-

(*) Ast supra §. 26. de Provincia Danica *Westarfold*, s. *Westerfald*, ex Eginbardo & Reginone, (quibus & Egolismensis ap. Schilt. p. 65. consentit,) quædam adduxit, ex quibus valde sit verosimile, ista vocabula ex *West* & Feld esse composita; licet fatear, hæc diversa a Westphaliæ nostræ nomine esse.

(**) Hæc Aimoinus ex Paulo Diacono descripsit, qui eadem fere verba habet l. 1. de gest. Longob. c. 20.

pidorum Germanicorum in Feld desinentium nomina aliam faciem induisse, sed, uti nunc, ita quoque olim habuisse. Ex his nunc succurrunt Barberfeld/ Birckenfeld / Coßfeld / Dransfeld / Eißfeld / Elfeld / Fürstenfeld / Grabfeld / Grunsfeld / Gurckfeld / Hasselfeld / Hirschfeld / Hunfeld / Ilfeld / Ipserfeld / Lechfeld / Manßfeld / Maßfeld / Reinfeld / Salfeld / Schönfeld / Schwentfeld.

XLIII. Deinde alii a voce Wallen, *migrare, peregrinare*, Westphalos deducunt. Est hæc vox procul dubio antiquissima, cujus etiam composita in Wallfahrten / Wallbruder, aliisque deprehendimus. Superat eadem in lingua Anglo-Saxonica, teste Merico Casaubono in Commentatione de hac lingua Londini anno CIↃIↃCL. edita; nec dubium est, quin inde provinciæ Anglo-Saxonicæ, *VVallia*, *Cornwallia*, *Nordwallia*, *Sudwallia* nomen sint sortitæ. Ab hac voce Wallen *Walli* deinceps vocati sunt extranei. Sylvester Gyraldus in descriptione Cambriæ cap. VII. *Saxones occupato regno Britannico, quoniam lingua sua extraneum quemlibet Wallum vocant, & gentes has sibi extraneas Wallenses vocant, & inde usque in hodiernum barbara nuncupatione & homines Wallenses & terra Wallia vocitatur.* Franciscus Junius in *Observationibus ad Willerami Paraphrasin Cantici Canticorum* pag. CCXXXI. Wael / Wale / *Peregrinus, alienigena.* A. S. (Anglo-Sax.) *pahl*, *peahl.* Hugo Grotius in *Glossario Nominum Gotthicorum, Vandalicorum & Longobardicorum* scriptoribus Historiæ Goth. &c. juncto: *Waal, peregrinus, & inde pro falso, ut in annalibus Francicis* Walamer, *falsus princeps.*

ceps. Idem tamen vocem Wallen ex Wandeln, & porro Walones ex Wandalis contracta censet. *Idem*, inquit, *sensus in Gallis, quos Walones Germani pronunciabant, contracto ex Wandalis vocabulo. Nam quod alii Wandalen, id alii elisis literis durioribus Walen dicunt: id autem est vagari.* Ac credo inde etiam *Wallonum* sive *Walonum* nomen tractum. Nam quod nonnemo *Wallones* dictos primum putat Ovallones, quod Galli orbem terrarum peragrantes, mutuo interrogantes quæsiverint *Ou allons Nous*, id est, *Quonam proficiscimur?* id nimis longe petitum esse existimo. Probant autem hoc Westphalorum etymon David Chytræus *Oratione de Westphalia*, (*) Arnoldus Buchelius in *Notis ad Heda Episcopos Ultrajectinos*. An vero *Phali* olim *socios* significaverint, & inde tam Ostphali quam Westphali nomen acceperint, non immerito ambigo: nec alium hujus etymi auctorem habeo, quam Wernerum Rolevincium, cujus verba ex laudato libello (†) adscribo: *Alii dicunt, quod Phalos olim, idem quod socius dicebatur, & sic Saxones, qui erant ultra Weseram, dicebantur Ostphali, qui citra Westphali, & secundum tales erat nomen antiquum.*

XLIV. Quid si vero diceremus, Westphaliæ nomen ex *VVest-VValdia* fuisse natum? Certe Tacitus

(*) Quam notis suis illustratam cum aliis de Westphalia Opusculis Helmestadii A. 1668. edidit Jo. Goes, Westphalus.

(†) de moribus & situ Westphalorum l. i. c. 2. ap. Leibnit. T. III. script. rer. Brunsvic. p. 610.

tus testatur, Germaniam olim *sylvis* fuisse *horridam*; & Livius nil nisi *sylvam solitudinemque* in ea agnovit. Mela quoque Germaniam *magna ex parte sylvis*, *inviam* tradidit. Quæ quin ad Westphaliam æque ac Ostphaliam commode possint referri, nullus dubito. Horridior nimirum harum terrarum atque incultior fuit facies, ob sylvarum frequentiam: ut facile exinde nomen accipere potuerint, & fortean acceperint: præsertim quia non insolens fuit Germanis nostris, & provinciis & urbibus nomina a sylvis imponere. Ex his nunc succurrunt sequentia: Griephswald / Finsterwald / Freyenwald / Fürstenwald / Lichtenwald / Liebenwald / Rügenwald / Sonnenwald / Westerwald.

XLV. Quando autem Westphaliæ nomen fuerit natum, perinde ac infinita hujus generis alia, incertum esse arbitror. Si quid tamen dandum conjecturis, vix ante Francorum cum Saxonibus bella innotuisse crediderim. Et forte ab his ipsis Francis si non Phalorum, sive, ut nos conjicimus, Waldorum acceperunt nomen, sed jam ante id habuere, Westphali tamen fueri appellati: cum illa ipsa provinciarum secundum plagas distinctio illo ævo quam maxime recepta fuerit ac frequentata. Si quis tamen contrarium liquido demonstraverit, non pedibus, quod ajunt, sed toto animo in ejus sententiam concedemus. Rolevincius paulo ante laudatus Westphalos quoque tempore Caroli M. hoc nominis accepisse putat: sed natales nominis simul affert valde

ri-

ridiculos. (*) *Primum advertendum est*, inquit, *quod gens ista a principio non fuit hoc vocabulo nuncupata, sed postquam Carolus Magnus eos ad fidem convertit, hoc nomen sibi assumpserunt, quasi in distinctionem ab aliis Saxonibus, cum quibus in paganismo eodem nomine nuncupabantur. Quia ergo ipsi primo ad fidem venerunt, & Saxones Orientales adhuc graviter bellabant contra Principem sanctum, quasi gloriantes de sua conversione, sic VVestphalos, id est VVestfideles nominare maluerunt.* Gobelinus quoque Persona *Cosmodromii* ætate I. cap. V. Westphaliam demum ætate Caroli M. sic dictam censet, sed Westphalos interpretatur nutantes aut dubitantes. Ipsa viri verba repetemus: *VVestphalia pars Saxoniæ a VVestphalis inhabitatoribus ipsius dicta. Unde VVestphali interpretantur occidentales nutantes seu dubitantes. Cum enim Carolus M. Rex Francorum Saxones subegit fidei Christianæ gladio, Christi fidem susceptam sæpe dimiserunt: & quia isti VVestphali versus occidentalem partem Saxoniæ siti sunt, & occidens eorum lingua VVest dicitur, cumque ipsi primum inter cæteros Saxones fidem Christianam receperint, postea maluerunt VVestphali, quam Saxones appellari: maxime ad hoc auxilium præstante privilegio, quod Karolus concessit eisdem: quoniam intra patriam eorum duntaxat certa loca privilegiavit pro fidei defensione.*

XLVI. Atque hæc sunt, quæ de nomine Westphaliæ in

(*) De moribus & situ Westphalorum l. i. c. 2. ap. Leibn. d. l.

in mentem nobis venerunt. Quibus tamen addideris, quod hoc ipsum vocabulum quandoque paulo strictius usurpari cœperit, pro certo Westphalicæ terræ tractu, sed tamen cum addita voce *pagi.* Meminere hujus pagi Auctor vitæ S. Auctoris Trevirensis, itemque Auctor vitæ Meinwerci, uterque a Meibomio in *de Pagis Saxoniæ* laudatus. Venit etiam in manus meas diploma quoddam Ottonis III. anno CIↃII. dati, in quo hæc habentur verba: *In pago VVestfaliæ in Comitatu Henrici Comitis.* (*) Ne quis autem putet, pagum Westphaliæ in his aliisque scriptis pro integra sumi Westphalia, notet velim, Westphaliam olim in plures pagos fuisse divisam. Patet id ex Eginharti Annalibus ad ann. IↃCCLXXXIV. *Cum primum*, inquit, *oportunitas temporis advenit, ad reliquias belli Saxonici conficiendas, Rex animo intento cum exercitu in loco, qui Lippia vocatur, Rhenum trajecit, & vastatis VVestfalaorum pagis, venit ad VVisuram.* In his VVestphaliæ pagis fuere *Pagus Angeri*, amplissimus sane, quique Susatum, Hervordiam, Mindam, Lemgoviam, Hamelam complectebatur: *Pagus Auga*, in quo erat villa Huxere, quæ

(*) Edidit hoc ipsum diploma Maderus in Antiquit. Brunsvic. p. 205. Verba reperiuntur circa finem, p. 207. Eadem verba obveniunt in diplomate Conradi II. ap. eund. Mader. p. 215. Plura de pagis Westphaliæ collegit Paullini in Comment. de pagis, p. 241. qui tamen nihil habet de loco in Annal. Hildesheim. ad A. 1115. ap. Leibnit. T. I. Script. rer. Germ. p. 738. ubi mentio fit *Friderici, Comitis Westphaliæ.*

quæ urbs nunc *Hoxter* audit: *Pagus Bocensis*, sive *Bucki*, in diœcesi Paderbornensi: *Pagus Dragim*, quem *Dreini* vocat Poeta Anonymus in vita Caroli M. *Pagus Essega*, in quo forte tractus circa oppidum Essen Parthenone illustri nobile: *Pagus Patherga*, quem nomen accepisse putant a Paderæ fontibus saluberrimis.

AD DOCTISSIMUM DN. RESPONDENTEM.

CUm apud animum constituisses in habenda disputatione publica meo ductu uti, atque præsidio, neque displicuisset argumentum ex historia patria, in Antiquitates quasdam Westphalicas inquirere decreveram. Prius tamen id quam facerem, ipsius Westphalici nominis natales rimari, cupido me incessit: præsertim, quia multis experimentis didiceram, quam hæc ipsa propriorum nominum consideratio in multarum præclarissimarum rerum intimiorem cognitionem nos soleat deducere. At enim dum hoc ago sollicitius, ac in ipso Westphaliæ etymo Austrasiæ ac Neustriæ me distinet denominatio, ac porro alia occurrunt propositum meum illustrantia; sub manibus crescit dissertatio, sic ut in hoc ipso nomine acquiescere, quæque ad Antiquitatum Westphalicarum disquisitionem per-

pertinent, in aliud tempus opus habeam differre. Tibi vero, Ornatissime Juvenis, ex animi sententia gratulor, quod ex quo Gymnasium patrium celebresque ejus doctores reliquisti, & in hanc te contulisti Academiam, ita te per integrum, & quod excurrit, triennium gesseris, ut tam florentissimis conjunctissimisque Collegis meis, quam mihi vitæ studiorumque tuorum rationem probaveris. Possem plures probitatis & industriæ tuæ testes, & in his Clar. Juvenem, M. Hermannum ab Haart, Osnabrugensem, (quem ob insignem pietatem, compositos mores, ac solidam doctrinam æstimo ac diligo,) laudare, si vel hæc scriptiuncula, vel tua id permitterent modestia.

Perge autem, mi Thöni, qua cœpisti via, nec dubita, quin, quam alii tuorum civium, ac non ita pridem Cl. Johannes Goswinus Friderici, Amicus meus singularis, experti sunt, fortunam, tu quoque pro meritis sis sensurus. Quod tempus quando adventaverit, ut ad amplificandam divinam gloriam, bonarumque literarum, quæ curæ tibi sunt cordique, incrementum convertas; interea vero optime valeas, tuisque studiis feliciter invigiles, Deum Opt. Max. ὁλοκαρδίως precor. Scribebam Jenæ IX. die Maji anno CIↃ IↃC LXXXVI.

T.

omni studio

CASPAR SAGITTARIUS D.

IV

IV.


FRANCISCI FLORENTIS AURELIANENSIS PRIMUM, DEINDE PARISIENSIS ANTECESSORIS VITA,

J. DOUJATII OPERA ET STYLO CONSCRIPTA.

IN Alexienſi (*) Burgundiæ Ducalis tractu, patre Joanne, in Senatu Divionenſi Advocato, matre Renata Ardillionia, natus eſt FRANCISCUS FLORENS, vergente ad Finem ſeculo ſuperiore (**) Is, emenſo apud Heduos ſuos Grammaticæ curriculo, ac ſolide poſitis utriusque linguæ, omnisque humanioris literaturæ fundamentis, Toloſam petiit anno MDCXV. in antiquiſſimo illo Muſarum domicilio, ac Legum præ cæteris altrice civitate, operam Jurisprudentiæ daturus; veræ nimirum Philoſophiæ, quæ vitæ dux, juſtitiæque rectrix optima merito cenſetur.

Nobile illud Athenæum ſua luce tunc feliciter illuſtrabant eximii Jurisconſulti, quorum elogia alterius loci ac ſtyli ſunt, Guilielmus Maranus; Joannes a Coſta ex Cadurcenſi Academia; Vincentius Cabotius ex Aurelianenſi evocatus; J. Cadanus, aliique. Et cæteros quidem Anteceſſores audivit: ſed Ma-

(*) a Arnay le Duc en Auxois, (**) Id eſt decimo ſexto;



מזבח העולה. s. ARA MOSAICA EXTERIOR.
Ad Cap. IV. Lib. I. Observ. Sacr.
a. Focus terreus.
b. גבוב לוחות. labulæ ære obductæ.
c. כרכוב. circuitus.
d. כבש. clivus.
e. מכבר. rete.
f. Cornua.
g. Annuli.
h. יסוד fundamentum.
i. Ignis ardens.
Occidens.
Septentrio.
Meridies.
Oriens.

Marano præsertim & Costæ adhæsit, qui ambo magni quondam Cujacii auditores fuerant, tanto digni Magistro. Hi præ cæteris, minus antea cognitam atque a præstantissimo Doctore suo acceptam utriusque Jurisprudentiæ, ex optimis Latinitatis auctoribus & prophana sacraque historia illustrandæ atque interpretandæ, viam præclare triverunt, & ex parte etiam amplificarunt. Costæ recitationibus per sex annos se assiduum interfuisse FLORENS ipse profitetur in Præfatione ad Tractatus novem in primos totidem titulos Decretalium. Sed præter quotidiana Antecessorum dictata, quæ interdiu excipiebat; præteritas Marani & Costæ prælectiones ab aliis acceptas exscribebat nocturnis vigiliis; Tanta inerat discendi aviditas.

Inter condiscipulos, quos in palæstra juridica nactus est, *Petrum de Marca* Benearnum, *Franciscum Bosquetum* Narbonensem, *Innocentium Cironium* Tolosatem, scriptis suis omnes postmodum claros, memorare juvat; cumque his Tronchæos fratres Parisienses, Petrum Chuppæum & .... Maquinum Andegavos. Horum prioribus, per Togæ munia ad Ecclesiasticas primi ordinis dignitates sua gradum virtus & eruditio fecit: *Marcæ* ad Episcopatum Consorannensem, deinde ad Archiepiscopatum Tolosanum, ac tandem ad Parisiensem; *Bosqueto* ad Lutevensem primo, inde ad Montis-pessulani Episcopatum. *Cironius* Cancellarii Ecclesiæ atque Academiæ Tolosanæ munus egregie implevit. Tronchæorum alter Præsidis, Consiliarii alter honore in Senatu Parisiensi fulserunt. Chuppæus & Maquinus Juris peritia excel-

lentes, ille in Academia postea Tolosana, hic in Andegavensi Antecessoriam Cathedram suo merito assecuti sunt.

Innotuit præterea FLORENS præcipuis doctissimi Senatus Tolosani proceribus, hospitio imprimis exceptus a Joanne Gualberto Caminada, Præside infulato, ut cum ejus filio Philippo, præclaræ indolis tunc adolescente, postea cinguli paterni successore dignissimo, junctus familiari consortio, per quotidianos sermones ipsius studia juvaret. Eum ego, ut ab utroque perliberaliter & honorifice cultus, ab aliis haud paucis benigne habitus fuerat; Tolosarum nostro rum singularem in literatos homines humanitatem, nec ficto, nec perfunctorio elogio prædicantem non semel audire me memini.

Sic Juris utriusque hausta puris e fontibus scientia, ejusque pleno quasi flumine inundatus FLORENS per Biturigas, (ubi semel aut iterum Emundum Merillium convenit) in patriam redux, Advocatorum in ordinem relatus est, atque annis aliquot in Senatu Divionensi cum laude versatus. Id Vir clarissimus Carolus Ferretus testatur in dialogo de Claris Fori Burgundici Oratoribus: ubi Florentem cum Benigno Millotetio Senatore & Nicolao Chevanio, Fori ejusdem Patrono, ea de re colloquentem inducit. Ibi apud Præsidem Girusium patrem, qui olim Cujacii auditor, assidua lectione ac meditatione in consummatum evaserat Jurisconsultum, familiariter vixit: sive ipsius Bibliothecæ curator, sive filii studiorum rector, qui felici ingenio in propriam tandem perniciem infeliciter est abusus.

Ve-

Verum ad majus theatrum vocabat Florentem natus ad maxima quæque genius, & digna amplissimo quovis munere doctrina. Primo ferme Lutetiam adventu Magistratibus primariis notus, atque in pretio fuit: ab Henrico imprimis Memmio, Prætore tunc Parisiensi, ac postmodum Præside primi ordinis, domum invitatus, quæ (pro nobilis & eruditæ gentis illius more) doctorum virorum, in quocumque scientiarum genere præstantium, commune semper ac nobile velut receptaculum fuit.

Is, ut Bosqueti, aliorumque, & postremo Henrici Valesii, sic intermedio tempore, FLORENTIS nostri opera annis aliquot usus est. Hic ex Memmii amicitia facilem habuit aditum ad hominum eruditorum, quotquot fere Parisiis tunc agebant familiaritatem; Hieronymi, dico, Bignonii, Hugonis Grotii, Jacobi Sirmondi, Puteanorum fratrum, Petri Haberti, pluriumque Advocatorum, in quibus Petrus Pithœus (Antonio, Petri & Francisci Pithœorum fratre, natus,) Joannes Vassanus (eorundem Pithœorum sororis filius) Nicolaus Rigaltius, Carolus Labbæus, Joannes Jobertus, Claudius Capellanus, Jacobus Bobæus Caroli Molinei nepos, & Guillelmus Blüetus.

His præsidiis, propriisque meritis suffulto, Aurelianensem Antecessuram, quæ, aucto ante aliquot annos a quaternario ad senarium, ob concertantium copiam, numero, jamdiu obitu Radulphi Fornerii vacabat, ambiendi sese obtulit occasio. Itaque post Doctorales ex utroque Jure Theses propugnatas, obitasque publicas prælectiones, FLORENTI, qui has

velut Probatorias Recitationes ſuas ediderit, Anteceſſorium munus adjudicatum eſt Senatusconſulto, quod prolatum fuit Majo menſe anni MDCXXX.

Ab eo tempore in Aurelianenſi Auditorio FLORENS Jus utrumque magna cum laude per annos ferme quatuordecim docuit: ſed ita ut feriarum tempore Lutetiam ſubinde excurreret excolendis amicis, tum ante memoratis, tum recentioribus aliis, atque imprimis Ludovico Nublæo & Ægidio Menagio.

Anſa inde amicis data de eo ad Pariſienſem Scholam Juridicam evocando cogitandi. Vacuum in ea locum fecerat mors Alexandri Hænautii *de Beauregard* Anteceſſoris. Itaque agente Philippo Buiſinio Anteceſſorum ſuperſtitum poſtremo, qui apud Matthæum Molæum Generalem eo tempore Regis in Senatu Procuratorem, primum poſtea Præſidem ac Sigillorum Cuſtodem, in gratia erat, atque accedente Nublæi opera ea res fauſtum tandem habuit exitum; cum Joannes Dartiſius Anteceſſorum Primicerius & Claudius Butellerius Secundicerius tanto interceſſori FLORENTIS cooptationem denegare religioni duxiſſent. Ut autem ampliſſimis conditionibus ea evocatio inſtitueretur, per Petrum Habertum, Vabrenſem poſtmodum Antiſtitem, apud Petrum Seguierium Franciæ Cancellarium, propria eruditione æque ac eruditorum patrocinio nunquam ſatis laudatum, effecere Buiſinius & Nublæus: idque eo facilius a Seguierio impetratum, quod is FLORENTEM Petro Seguierio, Tanaguidi Præſidis filio, ſpei reliquæ familiæ ſuæ, Præceptorem Juris deſtinabat. Sic Regiis Codicillis Fr. FLORENS An-

Antecessor Aurelianensis ad similem in Parisiensi Academia dignitatem propter eminentem Juris utriusque scientiam translatus est. Regiæ in eum annuarum mille ducentarum librarum munificentiæ literas apud Rationalium tribunal, non sine grata justaque FLORENTIS commendatione Joannes Bocheratius retulit, vir & ipse literatus, & literatorum amans, ordinis ejus Decanus.

Fixis in urbe principe laribus, FLORENS ipso mense Junio anni MDCXLIV. quo evocationis rescriptum in acta Senatus relatum fuerat, Recitationes suas in Auditorio Parisiensi est auspicatus. Hinc Academicis exercitationibus sic incubuit, ut paulatim hæc ipsi occupationum pars non maxima fieret. Non quod functionibus suis deesset: sed eum eruditi pariter & eruditionis avidi pro se quisque invitabant, adibant; non officii tantum & colloquiorum jucunde miscendorum causa, sed vel magis consulendi, aut ex liquidis ipsius fontibus hauriendæ doctrinæ. Congressibus imprimis prope quotidianis plures per annos cum primariis Libellorum supplicum Magistris Guilielmo Lamonio, Michaele Marilliaco, Ludovico Bocheratio, Joannis aute memorati filio, (qui prima omnes in Senatu, aut in Regio Consistorio loca dignissime postea tenuere, aut adhuc tenent) ardua quæque Juris argumenta disceptavit. Quin & non paucis privatis sed selectis Auditoribus vacare coactus est. Instituti ab eo tum alii, tum Petrus Seguierius, de quo diximus, Præpositus paulo post Parisiensis, & . . . Turnevilla, Rothomagensis, Emerici Marci *de la Ferté*, Cenomanen-

ſis Epiſcopi fratre,natus, acerbo uterque fato in ætatis flore abrepti; tum Dionyſius Talonius, Joannes Doujatius (quem fas mihi pro gentis noſtræ capite revereri) Carolus Raveria, Jacobus Verrerius, Joannes Chuppæus. Hi tres in Foro principe florent cauſarum patrocinio: Talonius Audomari, Generalis in Senatu poſt Jacobum fratrem Advocati, filius, patrui nunc, patriſque non magis nomen ac dignitatem ſucceſſor obtinet, quam præclaras laudes quaſi heres nominis implet, ac nobili velut æmulatione propriis cumulat. Doujatius vero paterni, ut muneris, ita ingenii (quod haud quaquam vulgare) heredem ſe præſtat eximium.

Transactis publico applauſu in Anteceſſoris apud Pariſios officio annis paulo amplius ſex, fatali neceſſitati conceſſit, Aureliani, quo per ferias Autumnales ad viſendos veteres collegas, & componenda negotia domeſtica diverterat. Ibi me aliud cogitantem paulo ante amica adhortatione excitaverat ad publicam Juris interpretationem ſuſcipiendam, quo me vocabat etiam eodem tempore Joannes Dartiſius, oſtenſa Profeſſorii muneris ſpe, quo ipſe Regio in Collegio fungebatur. Quorum utrumque citius quam optaveram, amborum non tam ope ac ſuffragiis, quam obitu adeptus, hoc illis in gemina Profeſſione deceſſoribus meis grati animi teſtificandi cauſa poſtremum officium debere putavi, ut eorum opera, quanta poſſem diligentia, tanquam pretioſas reliquias undecunque collectas, bono publico ederem.

Sepulturæ honorem ſortitus eſt FLORENS in Cemeterii majoris Aurelianenſis fere meditullio, addita

ta hac Epigraphe. *Franciſcus Florens ad Arnæum Ducis nobile apud Heduos oppidum honeſtis parentibus & probis natus poſt navatam per aliquot annos apud Tectoſages Jurisprudentiæ operam: primum Divioni in Senatu cauſarum Patronus, deinde Lutetiam profectus, Acroamaticus in foro dicere cœpit; mox in Aurelianenſi civitate Antecessor, Jus ibi Civile & Canonicum docuit: & pluribus editis operibus, palam fecit in Jure Canonico neminem ante ſe aut plus vidiſſe, aut potuiſſe. Aureliæ fatali morbo interceptus, hic ſitus IV. Kal. Novembris anno M. DC. L. reſurrectionem expectat.* Ubi mirum ſane oblitos auctores evocationis Pariſinæ, quaſi dedecori eſſet, aut ipſi in urbem principem aſcitum, atque in ea docuiſſe; aut Arelianenſi Juris ſcholæ ejus primitias delibaſſe, qui dignus fuerit habitus quem optaret Academiarum omnium parens.

FLORENTIS doctrinam & ſcribendi rationem hæc ejus ingenii monumenta teſtantur.*) Moribus fuit probis, candidus ac vere Chriſtianæ pietati addictus, ut appareret ejus menti alte inſediſſe religionis Catholicæ veritatem. Unde & Apoſtolicam Sedem Romanam ſincera veneratione colebat, ſine detrimento tamen jurium Eccleſiæ Gallicanæ. Quoad licebat, in Parochia ſua divinis intererat; aut quando conciones Eccleſiaſticas non vacabat audire, earum loco S. Joannis Chryſoſtomi homilias lectitabat. Auditores ſuos, quos habebat peculiares, ante annum

O 4 ſtu-

(*) Opera nimirum ejus Juridica, a J. Doujatio collecta, & duobus voluminibus edita.

ſtudii juridici tertium ægre patiebatur forum audiendis cauſis frequenter obire: jacienda prius affirmans Juris Civilis fundamenta, quod ſub hæc initia alieni mixturam non admittat ſine gravi confuſionis periculo.

Cum uxore concordiſſime vixit. Nomen illi Eliſabethæ Bordeauſſiæ, quam duxit Julio menſe anni MDCXXXVIII. Ea ſoror erat natu minor . . . . Bordeauſſiæ nuptæ Jacobo Gyvezio Fiſci Patrono in Prætorio Aurelianenſi Natæ ambæ . . . . Bordeauſſio cive & ipſo Aurelianenſi, qui non mediocribus honeſta negotiatione partis opibus, mercature vale dixerat.

Filias FLORENS reliquit tres: quarum vetuſtiſſima Roſa Maria ab Illuſtriſſimo Guilielmo Lamonio, qui Senatus poſtea Princeps, e ſacro fonte ſuſcepta, viro nobili Antonio Dammartino Gironvillæ, Legionis Ramburanæ veteris Legato nupſit. Altera Franciſca meliorem partem eligens, Deo ſe conſecravit, Sanctimonialium albo in Sanctæ Urſulæ Balgenciacenſi cœnobio adſcripta, ubi ſancte ante paucos annos mortalitatem exuit. Tertia, nomine Eliſabeta, viro illuſtriſſimo Dionyſio Talonio ſponſore ſacris undis luſtrata, virtutis formæque conſpicuæ, in connubio eſt viri nobilis Jacobi Clerici Domini de Doüy, in Præſidiali Aurelianorum Sede Conſiliarii digniſſimi.

Uxor FLORENTIS alteris cum Franciſco *le Grand* Fiſci Advocato in Tribunali Aurelianenſi initis nuptiis, non multo poſt tempore nullis ex eo liberis exceſſit e vivis.

Hæc

Hæc propriis partim oculis colloquiisque mihi cognita, partim ex familiaribus autoris noſtri amicis, Nublæo imprimis, Menagio, Chuppæo; partim ab ipſius in Aurelianenſi Academia digno ſucceſſore, Haymone Pruſto Camburgio accepta, uti ad me per venere, ita bona fide putavi reddenda.

V.
FRANCISCI FLORENTIS
DISSERTATIO
DE ORIGINE ARTE ET AUTORITATE JURIS CANONICI.

PRÆFATIO.

JURIS CANONICI interpretationes ſuſcipientibus tria ſunt neceſſaria, quæ ſi Studioſi prætermittant in ingreſſu ſtudii, duorum alterum eveniet; aut deſertores efficientur rerum multitudine & varietate onerati; aut cum magno labore ſerius perducentur ad veram illius Juris ſcientiam, ad quam ſi præmittantur illa, facilius pervenient.

I. Eſt origo & proceſſus hujus Juris. II. Ars & methodus, quam ſinguli Collectores, illuſtriores maxime, adhibuerunt. III. Autoritas & uſus cujusque Collectionis. Et hæc quidem generalia, & quaſi catholica tradere propoſui, non quia velim verboſos texere Commentarios; Sed quod interpretationem Juris

Canonici promittenti erat inconveniens, omissis initiis, neque origine repetita, protinus materiam interpretationis tractare; exemplo a Jureconsultis petito, qui Pandectis præfixerunt *titulum de origine Juris.* Istæ quippe introductiones lubentius ad propositam materiam perducunt, ut ait Cajus in *Lege 2. ff. de Origine Juris*, & cum ibi venerimus, evidentiorem præstant intellectum.

Investiganti autem causas corruptæ & obsolescentis Juris Canonici doctrinæ, tres potissimum occurrunt. Prima quod plerique Interpretum insuper habuerunt, illius Juris origines scrutari, Jus vetus a novo distinguere, vices & mutationes varias observare: & quod in Aristone tantopere laudat Plinius, *lib. 1. ep. 22.* omiserunt vetera tractare, ut recentia; publica, ut privata; contenti jure novissimo, quod usu & tritura receptum putabant, parum animum advertentes ad *canonem fuerunt Dist. VII. Etsi Legum antiquarum, quæ vetustate atque incuria obsoleverunt, nullus jam usus sit, notitia tamen necessaria videtur.* Quin & eas in usum revocari aliquando, imo sæpius, interesset publice.

Secunda, apocrypha plurima, id est suspectæ & incertæ fidei, pro veris & certis nimium patienter Collectores recentiores, eorumque Interpretes sibi tulerunt obtrudi; quæ a veris secernere summa fuit antiquis religio, *Can. Sancta Romana Dist. XV.*

Tertia, ritus, mores & instituta, quæ in a-
li-

liquibus Ecclesiis specialiter obtinebant, vel omnino neglexerunt, vel ita acceperunt, quasi apud omnes Ecclesias peræque custodirentur.

Alia vitia & defectus adnotare liberet, sed ista tria, ut graviora & majoris momenti indicare sufficit: meminerimus enim nos compendium scribere, & hanc materiam quasi per indicem attingere. Si quis autem singulorum, aut saltem celebriorum autorum Collectiones noverit, & quæ in singulis adnotabimus, illa tria incommoda facile vitabit. Sciet enim quid, & quo tempore sit inductum; mutationes & vicissitudines Juris Canonici, si non per partes & exacte, generaliter saltem cognoscet; quod incipienti satis est: qui vero ultra progredietur, artificium deteget, simul usum & autoritatem cujusque Collectionis investigabit; qua ratione apocrypha, & quæ sunt dubiæ fidei, qualia multa occurruntillis libris, statim odorabitur. Itemque si quid in omnibus Ecclesiis universaliter, si quid specialiter in aliquibus observetur, distinguet. In hoc vero tractatu hanc methodum & formam observabimus, ut singula breviter perstringantur; propositi nostri memores, nos institutionem & compendium tradere, in quo nimia disciplina, ut ait *Severianus in arte*, id est fusius & prolixius tracta disputatio nocet discentibus.

Pars

PARS PRIMA.

QUA CONTINENTUR DUÆ JURIS CANONICI DIVISIONES.

Generaliter primo Jus Canonicum dividitur ratione materiæ & formæ. Deinde ratione materiæ ea quæ ad fidem, & quæ ad mores pertinent, exacte distingui in Conciliis, ostenditur. Quædam etiam de Concilio sexto Oecumenico memorantur.

§. I.

UT commodius & apertius intelligamus, quæ postea sunt exponenda, Juris Canonici duas partitiones sive divisiones afferemus. Recte enim Theophilus divisionem vocat, immensæ & infinitæ alicujus materiæ brevem comprehensionem; quæ in tradendis artibus pernecessaria est, ex eo maximo quod quæ non poterat quis capere simul propter multitudinem, ea divisa in partes facile possit apprehendere.

Jus itaque Canonicum, vel ratione materiæ & subjecti, vel ratione formæ dividemus. Unius enim & ejusdem rei nihil obstat plures afferri divisiones, quæ sint omnes ex arte.

Ratione materiæ Jus Canonicum vel ad fidem, vel ad mores pertinet. Quæ pertinent ad fidem, symbolis,& formulis fidei, ac synodicis epistolis plerumque continentur, vel etiam Decretis, ut in Alexandrino Concilio anathematismi contra Nestorium, & in 5. Synodo: & speciali nomine designantur, *dogmata* scilicet & διατυπώσεις appellantur: quæ vero ad mores, id est ad disciplinam Ecclesiasticam

&

& πολιτείαν spectant, *Canonum* nomine designantur.*) Unde Chrysostomus *libris de Sacerdotio*, 4. imprimis *cap.* 5. omnis Theologiæ studium ad hæc duo refert πίστιν & πολιτείαν. Quibus adde notas Casauboni ad *Epist.* Gregorii Nysseni pag. 78. in fine.

Probatur illa divisio autoritate septem Conciliorum universalium: & quidem in Concilio Nicæno I. exprimitur illa divisio in *Epistola* Patrum *ad Ægyptios* sub finem his verbis, κανονίζειν κ̀ δογματίζειν, & apud Gelasium Cyzicenum, qui acta Concilii Nicæni ex variis autoribus collegit, adeo separantur ea, quæ sunt disciplinæ & morum, ab illis, quæ sunt doctrinæ & fidei; ut sicut re ipsa differunt, ita & notentur diverso nomine: pag. 199. Περὶ τῶν τῆς καθολικῆς καὶ ὀρθοδόξου πίστεως, τῆς τε σεβασμίου τοῦ ἁγίου πάσχα, τῶν τε τῆς ἐκκλησιαστικῆς θείας λειτουργίας διατυπώσεων, τῶν τε περὶ τῆς ἐν αὐτῇ εὐταξίας κανόνων κριθέντα καὶ ὁρισθέντα. *Quæ de Catholica & orthodoxa fide, & veneranda Sancti Paschatis festivitate, de Divini Ecclesiastici Officii constitutionibus & de ipsius disciplina canonibus indicata & definita sunt.* Διατυπώσεις (**) vocat constitutiones Patrum, quæ pertinent ad fidem, quas refert numero se-

(*) Idem observat, pluribusque probat exemplis Gerh. a Mastricht in hist. Jur. Eccl. n. 15. seqq. p. m. 10. seqq. Monet tamen n. 18. p. 13. differentiam inter dogmata & canones posterioribus temporibus & conciliis neglectam fuisse. S.

(**) De dictione διατυπώσις & τύπης vide notas Frontonis in *Basilium tomo* 3. pag. 70.

ſeptem; Et poſtea ſubjungit Canones numero viginti, qui ad mores, & politiam Eccleſiaſticam ſpectant; unde mirum non eſt, ſi in Canonibus nihil de Ario dicatur. Et hæc de Concilio Nicæno.

In Concilio Conſtantinopolitano ſecundo eadem diſtinctio reperitur ex *Epiſtolis* ut conſtat, *Synodicis* Concilii, quas direxerunt Patres ad Theodoſium Magnum, & ad Damaſum, Ambroſium, & reliquos Occidentis Epiſcopos. In illis enim epiſtolis, quæ pertinent ad fidem, & contra hæreſes ſtatuta ſunt, vocantur *anathematiſmi*: quæ vero ad diſciplinam & mores inter domeſticos fidei conſtituuntur ad Eccleſiarum ordinationem, vocantur *Canones*.

In Concilio Epheſino pleraque omnia pertinent ad fidem: ſeptem enim tantum Canones conſtituit.

In Chalcedonenſi plures Canones continentur, qui plurimi faciendi ſunt, quia conſpirante, & in unum conveniente ordine Eccleſiaſtico & Sæculari ſanciti ſunt. In illo enim Concilio Canones multi ex ſuggeſtione Imperatoris Martiani a Patribus promulgati fuerunt, ut conſtat ex *actione ſexta* in fine. Manifeſta vero eſt differentia inter ea, quæ ad mores, & ad fidem pertinent, ut ex *integris* illius Concilii actis colligitur.

In quinta Synodo Oecumenica, quia nulli Canones editi ſunt, ſed tantum de fidei quæſtionibus tractatum, illa diſtinctione opus non fuit. *)

In

(*) De pugna & controverſia ſuſcepta adverſus 5. Synodum vide *notata ad Facundum Hermianenſem*, & apud Iſid. *lib. de viris illuſtr. c.* 12. 31. & 32.

In sexta nulli pariter Canones editi sunt: magna tamen difficultas oritur ex *can.5. 6. 7. 8. & 9. dist.XVI.* ex quibus colligit Gratianus sextum Synodum, & ejus Canones ab Hadriano Pontifice probari. Canon enim quintus ipsius Hadriani verba continet, quibus probat illam Synodum, & ejus Canones nominatim; quod & confirmatur *Can. 6. sequenti, & 7.* quibus referuntur ipsa verba, & quidam Canones desumti ex illa Synodo 6. In *Can.* vero 8. quo continetur professio solemnis Romani Pontificis, generaliter dicitur, Pontifices admittere illam Synodum sextam, nulla mentione facta Canonum: quod summe notandum est. In *Can.* vero *nono* sexta Synodus dicitur conscripta temporibus Papæ Agathonis, sub Constantino Pogonato præsentibus Legatis Apostolicæ Sedis. Ex illis autem *duobus Canonibus 8. & 9.* pugnantia & discordia oritur contra *Canones 5. & 6. ejusdem Dist. XVI.* Nam in *5. & 6.* Canones aliqui tribuuntur sextæ Synodo; deinde in *Can. 6.* nominatim dicitur, sub Justiniano filio Constantini Pogonati covocatam fuisse sextam Synodum. Præterea nulla mentio fit Pontificis, neque ejus Legatorum; quod tamen necessarium esse, ut aliqua Synodus vere dicatur universalis & legitima, sæpius Græcis summi Pontifices objecerunt.

Illa discordia ita componenda videtur, si distinguamus inter veras, & falsas Synodos: duæ enim Synodi nomine sextæ appellantur: illa quæ est vera & legitima, habita est sub Constantino Pogonato, & nullos Canones edidit; sed tantum statuit quædam ad fidem pertinentia, & ad eam referendi sunt

Can.

Can. 8, & 9. *Dist. XVI. Canones* vero 5. 6. & 7. ad pseudo-synodum Græcorum referendi sunt, quam pro vera & legitima obtinere voluerunt. Et quidem certum est Gratianum fuisse deceptum propter non animadversam istam distinctionem: ne tamen in eundem errorem incidamus, observandum est, verba *Canonis* 5. male tribui Hadriano Pontifici. Nam licet verum sit, in *Synodica* Hadriani *Epistola* ea verba contineri, quæ habentur in Concilio VII. Oecumenico *actione* 2. Hadrianus tamen ea verba refert tanquam desumpta a Tarasio Constantinopolit. Patriarcha; non quod ea probet, ut constabit facile, si quis conjungat dictam epistolam Hadriani cum epistola ipsa Tarasii, quæ habetur integra in dicta Synodo septima *actione tertia*. Et hæc ad *quintum Canonem*.

Ad *Can.* 6. *habeo librum*. In hoc Canone separare debemus prima verba, quæ sunt Petri Nicomediæ Metropolitani, a verbis Tarasii, quæ incipiunt ab his verbis, *Patriarcha dixit*. Sed tam hic Canon, quam sequens accipiendi sunt secundum Græcorum sententiam, maxime Ecclesiæ Constantinopolitanæ. Quod iterum post Romanos Correctores plenius animadvertere operæ pretium erit.

Observandum postremo, falsam illam Synodum continere 103. *Canones*, quorum plerique Occidentalem Ecclesiam impugnant; maxime *Can.* 2. 13. 55. & 82. Vocatur autem Synodus πενθέκτη a Græcis, id est quinta & sexta; quia Canones, qui deerant quintæ & sextæ Synodo, supplevit: nec proprie dicitur septima; quia nihil de novo statuit, ut notant Zonaras & Balsamo ad *illam Synodum*.

Ha-

Hactenus de sexta Synodo quantum ad divisionem nostram de fide, & moribus. Alia quædam, quæ pertinent ad autoritatem & differentiam duarum illarum Synodorum, quæ sextæ nomen præferunt, suo loco non omittemus.

In Synodo septima, quæ vocatur Nicæna secunda, contra Iconoclastas convocata sub Hadriano I. Pontifice, & Constantino Imperatore & ejus matre Irene, separantur manifestissime ea, quæ sunt fidei, & morum. (*)

In octava sub Hadriano II. & Basilio Imperatore. Notandum primo, sicut duplicem fuisse sextam Synodum notavimus, ita & octava duplex fuit. Una est legitima, cujus autoritate Photius incubator & invasor Sedis Constantinopolitanæ vivo Ignatio, vero & legitimo Patriarcha, Synodi judicio expulsus est, & Ignatius restitutus, annitente potissimum Hadriano Pontifice, ad quem confugerat Ignatius, oppressus artibus Photii.

Altera Synodus octava, quæ & falsa, post legitimam a Photio Pseudo-patriarcha convocata fuit; sed eam Pontifex, & Occidentales reprobarunt. In octava servatur ista divisio inter Canones, & dogmata.

Idem in aliis Synodis tam generalibus quam particularibus observare est, quas omitto compendii, & brevitatis causa; monebo tantum, exacte eam dif-

(*) In Galliis 7. Synodus recepta in his quæ sunt fidei; quod ad canones, nunquam. Vide *notata* ad Synod. Francofordiensem de Imaginibus a Sirmondo.

differentiam in postremis Conciliis fuisse observatam.

§. II.

Duæ Regulæ divisionem Jur. Can. in ea quæ fidei & quæ morum sunt, illustrantes.

Quamvis utilitas hujus divisionis ex his, quæ diximus, satis eluceat, duas præterea nobis regulas suppeditat, sæpius inculcandas in interpretando Jure Canonico, quas seorsim adnotabimus.

Prima, in his, quæ sunt fidei, omnes Ecclesias debere convenire, fidem esse unam, integram, & pro indiviso apud omnes Ecclesias servandam, de qua nihil detrahi, vel immutari potest; denique ut eleganter ait Tertullianus, *libro de virginibus velandis. Regula fidei una omnino est, sola immobilis & irreformabilis.*

Secunda regula. Ea quæ ad disciplinam, conversationem & Ecclesiasticam œconomiam pertinent, per loca terrarum regionesque mutare licet: totum hoc genus liberas habet observationes. (*) Quod enim neque contra fidem, neque contra bonos mores injungitur, indifferenter est habendum, & pro eorum, inter quos vivitur, societate, servandum est. *Can. 11. Dist. XII.* Quamvis enim, omnes Ecclesiæ unam & eamdem fidem tenere & observare teneantur; diversos tamen ritus, mores, & consuetudines etinere possunt absque ulla scissura & schismate: quod vulgo dicitur, sub diversis ritibus unam fidem, &

(*) Adde infra parte 2. §. *sed ut breviter* usque ad §. & *hæc sufficiant*,

& per eam concordiam & pacem inter omnes Ecclesias conservari. Unde nata celebris distinctio mobilium & immobilium præceptionum, quæ a mobili & immobili uno spiritu descendunt.

Præceptiones immobiles vocamus, quas lex æterna sanxit, quæ observatæ salutem conferunt, non observatæ eamdem auferunt. In iis nulla admittitur mutatio vel dispensatio: sed ita sunt omnia mandata, vel interdicta servanda, sicut æterna lege sancita sunt; v. c. quæ ad Deum & proximum pertinent, & ad parentes, itemque præceptiones adversus vitia.

Præceptiones autem mobiles sunt, quæ lege æterna & perpetua non fuerunt sancitæ, sed quas ad tempus ratione utilitatis Scripturæ & Canones posuerunt, non ad salutem principaliter obtinendam, sed ad eam tutius muniendam.

In hujusmodi præceptionibus mobilibus, dummodo honesta vel utilis consequatur compensatio, poterit procedere autoritate præsidentium, id est Antistitum, diligenter deliberata dispensatio. Cessare tamen debet cujuslibet lucri & commodi temporalis suspicio, quæ nec impetrantem, nec concedentem liberat. Multa namque Principes Ecclesiarum pro tenore Canonum districtius judicant: multa pro temporum necessitate: multa pro utilitate publica vel strage populorum vitanda dispensant. De quibus omnibus eruditissime Juo Carnotensis in *Præfatione Decreti*: Gratianus vero variis in locis ex Conciliis, Decretis summorum Pontificum, & dictis Patrum confirmat & illustrat *Can. 2. Dist. VIII. Canon. 6. & 8. Dist. XI. Canon. 3. 4. 5. 7. & 8. & maxime 11. Dist. XII. &* to-

tota Dist. XIII. & XIV. & XXIX. *Can.* 2. *Can.* 3. 11. 18. 19. XXIII. *Q.* 4. Quibus addendus D. Chrysostomus in Matth. cap. 5. Hom. 17. pag. 219. 220. & 221. editionis Parisiensis.

Itaque si aliqua Ecclesia alio jure utatur in disciplina, non ideo communio & societas Ecclesiastica rescinditur sed retinetur concordia per dispensationem, & œconomiam Ecclesiasticam, sive indulgentiam συγγνώμην: tot enim nominibus una & eadem res significatur *Canon.* 14. 15. 16. *Causa* 1. *Q.* 7. qua de re prudentissime scripsit Eulogius Patriarcha Alexandrinus, cujus excerpta supersunt in *Bibliotheca* Photii ab Interprete non intellecta, qui ubique fere οἰκονομίαν Incarnationis mysterium interpretatur: quo errore insignem Eulogii tractatum adeo obscuravit, ut ejus sententia non possit constare. Quamvis enim οἰκονομία significet aliquando ἐνσάρκωσιν, ἐνανθρώπησιν, ἔνσαρκον ἐπιφάνειαν Christi, quæ & absolute θεολογία & conjunctim οἰκονομία & θεολογία, unde & Joannes Theologus appellatur: quia sicut Lucas, τὴν σαρκὸς τοῦ σωτῆρος ἡμῶν γενεαλογίαν, antea scripserat; ita Joannes θεανθρωπίαν, quæ per eminentiam θεολογία. Eusebius *Histor. Eccl. lib.* 1. *c.* 1. initio & fine, & *lib.* 3. *cap.* 18. sub finem. Apud Eulogium tamen in illo tractatu οἰκονομία, ut notavimus, pro dispensatione, indulgentia, moderatione & æquitate accipitur, eodemque sensu apud Athanasium *epist. ad Rufinianum*, Basilium *epist.* 1. *canonica ad Amphilochium* & *epist.* 203. & 204. in editione postrema Parisiensi; Cyrillum *epistolis ad Gennadium Presbyterum* & *Archimandritam*, & *ad Maximum Diaconum*, quibus in locis

τὸ

τὸ αὐστηρὸν, & τὸ ἀκριβὲς, opponitur τῇ οἰκονομίᾳ. De dispensatione autem illa Ecclesiastica, de qua Eulogius ex professo apud Græcos disseruit, non minori judicio apud Latinos Juo Carnotensis in *doctissima præfatione Decreti* tractavit; eademque de re ejus æqualis Goffridus Vindocinensis, in *tractatu ad Calixtum Papam. Qualiter in Ecclesia dispensationes fieri debent.* Gratianus in *Can. 6. 7. 11. 12. 13. 14. 15. & seqq. & Can. 23. 1. Q. 7.* Bernardus *libro de Præcepto & Dispensatione.* S. Augustinus epist. 50. & 162. Hilarius *contra Auxentium* pag. 101. & in *initio & fine tractatus.* Quibus adde Bibliothecam Cluniacensem pag. 1354. & quæ de œconomia & συγκαταβάσει notat Casaubonus in *epist.* Gregorii Nysseni pag. 109. itemque notas Heinsii ad Novum Testamentum, & Frontonis ad *Tom. 1.* Chrysostomi pag. 62. & 63. & quæ habentur *tomo 2.* Libertatum Gallicanarum pag. 536. & 537. & ibi notata.

Exempla illustria habemus, quibus utraque regula supra proposita confirmatur. Et quidem de Synodo 6. de qua supra, ita loquitur Anastasius Bibliothecarius in quadam *epistola ad Joannem Diaconum,* quæ præfigitur initio *Collectaneorum* Anastasii, editorum a Sirmondo. *Et hanc quoque Synodum sextam Canonica capitula promulgasse, Græcorum scripta testantur: quæ tamen bene omnia, quia Sedes Apostolica non approbavit, tota Latinitas reprobavit: nec tamen ullum schisma eam ob rem inter Ecclesias Orientales & Occidentales ortum est.* Quod & pluribus exemplis ex aliis Synodis generalibus breviter demonstro, in quibus licet nulla fuerit controversia in quæstionibus fidei; non tamen con-

constitit inter omnes de his, quæ in illis Synodis ad disciplinam pertinent. Verbi gratia, in Constantinopolitana universali secunda *Canonem 3.* Ecclesia Romana & aliæ Sedes Patriarchales non approbarunt, quo continentur privilegia Sedis Constantinopolitanæ. Ita in Ephesina Synodo *Canon. ult.* de Cypro non probatur Ecclesiæ Antiochenæ. Postremo, quod in Chalcedonensi *Canon. penult.* de Ecclesiæ Constantinopolitanæ privilegiis amplificandis iterum statuitur, improbatur & damnatur a Leone Magno in *Epistolis 53. 54. 55.* Et huic Canoni promulgando nominatim intercesserunt Paschasius, Lucentius, & Bonifacius Leonis Magni Legati, qui contradictionem suam in acta referri postulaverunt, ut constat ex *actione ult.* Concilii Chalcedonensis. Ex quibus conficitur, quamvis non omnes Canones alicujus Synodi, etiam universalis probentur, non ideo minus esse legitimam, & solemnem, dummodo in fide conveniant. Unde non mirum est, si hodie aliqui Canones Conc. Trid. qui pertinent ad di ciplinam, ab omnibus Ecclesiis non admittantur quamvis in fide omnes Orthodoxi conveniant. Hæc de prima divisione, de qua plura dicerem, nisi modus compendii servandus esset.

§. III.

Altera Juris Canon. divisio ratione formæ in jus scriptum & non scriptum. De hoc prius agitur.

Sequitur secunda divisio in jus scriptum & non scriptum, quæ a forma repetitur, sicut superiora materia & subjecto. Quemadmodum enim in §. *3. constat. Instit. de jure naturali, gentium & civili*, jus omne civile dicitur constare scripto & sine scripto: ita & jus omne

mne Canonicum distribuitur in jus scriptum, & non scriptum: vel brevius, legibus & moribus continetur. Lex enim constitutio scripta vocatur, ut Theophilus notat *eodem titulo*, & Isidorus *Can. 2. 3. 4. & 5. Dist. 1.* Jus vero non scriptum appellatur, jus moribus introductum, consuetudo, disputatio fori, jus prudentum, & usus.

Jus non scriptum vocamus traditionem, usum antiquum & perpetuum, vel omnium simul Ecclesiarum vel particularium quarumdam tantum. Quæ distinctio scripturarum etiam autoritate confirmatur. Petrus *Epist. 1. cap. 1.* vocat τὰ πατροπαράδοτα. D. Paulus 2. *ad Thessal. 2. Itaque*, ait; *fratres state, & tenete traditiones, quas didicistis sive per Sermonem, sive per Epistolam.* Quas traditiones sæpius idem Apostolus *bonum depositum* vocat *Ep. 2. ad Timoth. cap. 1. formam habe sanorum verborum, quæ a me audisti.* Et postea. *Bonum depositum custodi per Spiritum Sanctum, qui habitat in nobis.* Quibus locis simul junctis recte definiverunt Concilii Trid. Patres *Sessione 4.* Traditiones, *quæ nempe sine scripto ipsius Christi ore ab Apostolis acceptæ, aut ab ipsis Apostolis Spiritu Sancto dictante, quasi per manus traditæ ad nos usque pervenerunt.* Quæ quidem Traditiones dummodo per omnes Ecclesias ab initio præceptæ fuerint & observatæ, vim & robur obtinent, non tantum circa ea, quæ sunt disciplinæ & morum, sed etiam circa fidem & dogmata. Eamque in rem insignis est locus Basilii Magni *lib. de Spiritu Sancto cap. 27. Dogmatum & institutorum, quæ in Ecclesia servata sunt, alia quidem habemus ex doctrina quæ lit-*

teris consignata est: alia vero ex Apostolorum traditione, ad nos transmissa, in mysterio recepimus, id est sine scriptis, *quæ utraque eamdem vim habent & robur ad pietatem: atque his nemo contradixerit qui vel exigua legum Ecclesiasticarum peritia sit præditus.* Quod & exemplis pluribus declarat D. Basilius. Qui locus merito ab omnibus fere Collectoribus Canonum refertur, Burchardo, Juone, Gratiano, qui eum locum retulit *can. 5. Dist. XI.* cui similem addimus ex Epiphanio *ad hæresim Arianorum. Num. 5. 6. 7.* & maxime *num. 8.* & iterum in *Expositione fidei Catholicæ num. 21. 22. & 23.* & seqq. & ad eam *notas* Petavii. Cui etiam adjungenda, quæ de traditionibus Balduinus & Espensæus scripserunt; & quæ ad Basilium Fronto Ducæus observavit, ut & ea, quæ ad *tit. de consuetudine in pr.* notavimus.

Traditiones itaque eandem vim & potestatem habent, atque ea, quæ scripto continentur *Can. Ecclesiasticaru 1. Dist. XI.* & contemptores hujusmodi consuetudinum coercentur eodem modo, quo contemptores legum divinarum, ut ait August. *Can. in his rebus, & sequenti Dist. XI.* & Vincentius Lerinensis *Commonitorio primo* divinæ legis autoritatem & Ecclesiæ Catholicæ traditionem conjungit.

Bimembris illa divisio, in jus scriptum & non scriptum, & ejus autoritas confirmatur expresse *Can. 7.* Syn. VII. & *dicta Sess. 4.* Tridentini Concilii: quibus Synodis idem continetur, quod ex antiquioribus pluribus ante sæculis servatum erat ex *dicto Can. Ecclesiasticarum Dist. XI.* junctis *Canonibus 7. 8. 9. Dist. eadem, & can. 9. Dist. XII.* quibus adde Isidorum *lib. 1.*

de

de divinis Officiis cap. ult. & Radulphum lib. de can. observat. Proposit. 2. 3. & 4. in volumine Autorum de divinis Catholicæ Ecclesiæ Officiis.

Adversari videtur divisioni propositæ Augustinus in *dicto Can. 8.* his verbis, *Quicquid in Ecclesia tenetur aut autoritas est scripturarum, aut traditio universalis aut certe propria, & particularis institutio.* Propriam, & particularem institutionem separat ab universali traditione: particularis scilicet institutio, sive consuetudo certo loco inclusa intelligitur, quæ per loca terrarum, regionesque variatur, ut ait Augustinus: & earum consuetudinum aliquot exempla suppeditat, *Can. 11. Dist. XII.* In quibus hæc regula tenenda est, consuetudines & traditiones Ecclesiasticas, licet diversæ sint pro loco & tempore: si tamen nihil contra fidem Catholicam usurpare dignoscantur, ita esse observandas, ut a majoribus traditæ sunt: nec aliorum consuetudinem aliorum contrario more subverti, *can. 3. 4. 8. 9. 11. Dist. XII.*

Ex quibus Canonibus, & autoritatibus augetur difficultas proposita, quod Canonici juris duas tantum species assignavimus. Cui objectioni satis faciemus, ita, si consuetudines particulares Ecclesiarum sub commune genus, juris scilicet non scripti reducamus, sub quo potestate, τῇ δυνάμει, continentur. Explicationis tamen causa in plures species una & eadem divisio potest diffundi, cujus rei plura exempla occurrunt in jure civili, in quibus divisio, quæ bimembris fuit ab initio, in plures iterum partes subdividitur. In §. *ult. Inst. de justitia & jure* jus omne dividitur in publicum, & privatum; & tamen apud

bonos autores dividitur in publicum, privatum, & sacrum: reducetur tamen commode illa tertia species, sacrum, ad jus publicum. Eadem forma in §. *1. Inst. de jure personarum*, personæ omnes dividuntur in liberos & servos: & tamen in §. *ult. ejusdem tituli* dividuntur tripliciter in servos, libertinos & ingenuos: libertini tamen & ingenui poterunt reduci ad liberos. Plura exempla invenire licet apud Cujacium *lib. 15. Observationum cap. 33.* Methodi tamen & brevitatis causa universaliores, quæ ad summa genera revocantur, proponendæ sunt magis.

Observandum II. licet consuetudo, sive traditio adscribatur juri non scripto, & ab Isidoro appelletur *lex non scripta in can. 4. & 5. Dist. I.* evenire tamen potest ut scriptura consistat: quo casu est æqualis potestatis & autoritatis, sive ex scripto constet, sive non scripto: quod aperte confirmatur ex locis supra notatis; & in Synodo VII. *act. 8.* his verbis. *Si quis omnem Ecclesiasticam traditionem, sive scriptam, sive non scriptam rejicit, anathema esto.* Male itaque Gratianus ad *dictum canonem 5.* adnotavit, consuetudinem, quæ in scriptis redacta est, jus vocari; quæ vero in scriptis redacta non est, generali nomine consuetudinis appellari tantum. Nec enim scriptura immutat jus vel autoritatem consuetudinis: substantia enim consuetudinis non ex literis, & scriptura; sed ex tacito populi consensu repetitur: sicut a contrario legis substantia pendet ab expresso populi consensu, *l. Diuturna l. sed & ea. & l. ergo omne ff. de Legibus, juncto. §. ult. Inst. de jure naturali.* Expressum autem consensum dicimus, qui literis con-

si-

ſignatur & exprimitur: unde & legem a legendo dictam ait Iſidorus: & legem eſſe commune nomen omnibus juris ſcripti ſpeciebus ait Theophilus. §.4. *Inst.de Jure naturali.* Quod ſi contingat conſuetudinem in ſcriptis redigi, idem dicemus, quod de hypotheca dicit Juriſconſultus in *lege 4.ff. de fide instrumentorum:* fiunt de conſuetudinibus, & traditionibus ſcripturæ, ut quod ſtatutum eſt, facilius per eas probari poſſit: & ſine his autem valet quod actum eſt, ſi habeat probationem. Et propriæ traditiones dicuntur quæ origine inſpecta, per manus ad nos pervenerunt, ſine ſcriptura. Et hæc de prima partedivisionis quæ pertinet ad jus non ſcriptum.

§. IV.

Agitur de altera divisionis in Jus Can. ſcriptum & non ſcriptum parte, Jure ſcilicet ſcripto, & quidem primo de prima ejus ſpecie, S. Scriptura.

Sequitur altera pars diviſionis, quæ ad jus ſcriptum pertinet: ſpecies juris ſcripti Canonici duæ ſunt, Sacræ Scripturæ Canonicæ, & Canones ipſi. Scripturæ autem Canonicæ proprie dicuntur, quæ autoritate Eccleſiæ & Canonum receptæ ſunt, ut a libris incertis ſeparentur. Enumerantur autem illi libri in Conciliis antiquis & recentibus, & ſæpius a patribus Græcis & Latinis. Sed ut hæc quæſtio apertius, & ad inſtitutum noſtrum convenientius tractetur, obſervandum eſt quod dicitur in *can.6.* Nicænæ II. Synodi VII. in jure Canonico & Synodis Evangelicas & Canonicas cauſas tantum decidere, non alias. Conſequenter ad decidendas & termi-

nan-

nandas illas lites necessarii fuerunt duo Codices, Evangeliorum, & Canonum, qui solebant in Conciliis proponi in medio consessus & in throno collocari, ut ex eorum jure, tum ea, quæ ad dogmata & fidem pertinerent, expenderentur: tum etiam quæ ad mores. Unde passim in Conciliis Græcis & Latinis occurrunt illæ solemnes formulæ: *Propositis in medio sacris & inviolatis Evangelii Codicibus. Proferatur Codex Canonum. Legantur Canones.* Nempe post narrationem negotii ex utraque parte, ut finem litibus imponerent, jubebant Patres Concilii recitari canones, qui ad illud negotium spectabant: quod in actis Conciliorum integris frequentissime occurrit. Unde Leo IV. in *canone de libellis Dist. XX.* ita loquitur de Codice canonum, & de canonibus ipsis post emendationem Conciliorum & Pontificum, ex quibus canones desumpti fuerant: *Isti omnino sunt, & per quos judicant Episcopi & per quos Episcopi simul judicantur & Clerici.*

Juris itaque Canonici, quod ex scripto consistit, duæ sunt partes summæ & principales, sacræ Scripturæ, & Canones. Scripturæ sacræ iterum subdividuntur in libros veteris, & novi Testamenti: de quorum numero, & autoritate variæ fuerunt controversiæ. Nec enim uno consensu omnes ab omnibus Ecclesiis admissi fuerunt, sive de novo, sive de veteri Testamenti quæratur: ideoque ut de cujusque libri autoritate & veritate constaret, ad traditiones Ecclesiæ recurrendum fuit. Quid vero in ea re sequendum, non idem visum est Patribus. Habetur Hieronymi sententia in *can. 6. Dist. IX.* qui nec ipse si-

ſibi conſtat, ut licet colligere ex ejusdem *Prologo galeato* & reliquis, quos in ſingulos libros ſpecialiter ſcripſit. Item notari debet eam in rem Auguſtini ſententia in *can. 6. Diſt. XIX.* & ibi Correctores: quem canonem male & alieno loco Gratianus ad decretales Epiſtolas Pontificum transfert, ut apparebit manifeſtiſſime ex integro loco D. Auguſtini, qui reperitur *libro 2. de doctrina Chriſtiana cap. 8.* Subjicit enim ultimis verbis Canonis, qui relatus eſt a Gratiano, hæc verba ſumme notanda: *Totus enim canon ſcripturarum, in quo conſiderationem iſtam verſandam dicimus, his libris continetur.* Et deinde enumerat libros veteris & novi Teſtamenti; nec ullas Pontificum decretales refert.

In hujusmodi autem controverſiis de numero, & autoritate librorum, hæc diſtinctio frequentiſſima fuit, ut tam veteris, quam novi Teſtamenti triplex ordo librorum fuerit. Primus ordo quædam ſcripturæ admittuntur ab omnibus, vel ſaltem plurimis Eccleſiis: & eæ dicuntur Eccleſiaſticæ & canonizatæ, id eſt ab Eccleſia & canonibus receptæ. Secundus ordo eſt earum, quibus contradicitur, id eſt quæ a multis Eccleſiis admittuntur, & a multis non recipiuntur; ad quas pertinet proprie conſilium Auguſtini, de quo ſupra diximus. In exemplum licet accipere Machabæorum duos libros, quos certum eſt Africanam Eccleſiam accepiſſe legendos a Patribus cum reliquis Canonicis, & conſtat ex Concilio Carthaginenſi 3. *can. 47.* ſub Aurelio, cui Auguſtinus ſubſcripſit; qui quidem Auguſtinus illos libros in Africa receptos commemorat *libro II. de civitate Dei, cap. 3. & lib. 18, cap.*

cap. 36. 41. 42. & 43. & in canone scripturarum refert, quem ipse conscripsit *dicto lib. 2. de doctrina Christiana cap. 8.* Imo & Innocentius I. eos probat nominatim in *Epistola ad Exuperium Tholosanum Episcopum*, *cap.* 27. Certum tamen est ab Orientalibus Ecclesiis, & aliis quibusdam contradici; non tamen esse ullam Ecclesiam, quæ eos damnet. & rejiciat omnino. Ex quibus colligitur, audacius paulo Anastasium Bibliothecarium libros illos, qui medii sunt inter Canonicos & apocryphos, in librorum numerum retulisse, qui non recipiuntur ab Ecclesia. Et Prudentius Nicephorus Patriarcha Constantinop. quem Anastasius interpretabatur, tantum refert eos inter libros, quibus contradicitur. Isti vero libri, de quibus est controversia, recenseri solent inter eos, quos Græci ἀγιόγραφα vocant, quorum autoritas ad roboranda illa, quæ in controversiam veniunt, minus idonea judicatur, ut ait Hieronymus *prologo in Judith.* Sed tandam ista controversia decisa est Concilio Tridentino, *Sess. 4. decreto de scripturis*, ut infra dicetur.

Tertio loco & ordine numerantur apocrypha, quæ non admittuntur ullius Ecclesiæ autoritate, sed ab omnibus pariter rejiciuntur, ut supposita & falsa, verbi gratia in veteri Testamento libri Enoch, Testamentum Moysis & ejus assumtio; in novo vero Testamento, itineraria Petri, Pauli, Joannis, & reliquorum, quæ referuntur in dicto canone scripturarum a Nicephoro Patriarcha Constantinop. confecto, & ab Innocentio I. *in epistola ad Exuperium Tholosanum*, quæ non solum esse repudianda, verum etiam

iam damnanda judicat. Hujusmodi librorum falsorum, ampliorem catalogum habemus apud Gelasium Pontificem in *can. 3. sancta Dist. XV.*

Quia vero scripturarum potissimum testimoniis & præsidiis in confirmandis dogmatibus & instaurandis moribus utitur Ecclesia, sæpius de numero, & autoritate librorum magna contentione certatum est: nec de ea re constitit inter omnes Ecclesias, ut diximus; quod & catalogorum diversitas satis prodit; ideoque Conciliorum autoritate terminanda fuit ea lis, quod non semel factum est. Hieronymus *prologo in Judith* loco singulari ait, *nominatim Synodum Nicænam librum Judith in numero sacrarum Scripturarum computasse, licet in Hebræo canone non foret.* Ex quo colligitur Canonem aliquem Scripturarum in Synodo Nicæna factum fuisse, qui tamen hodie non extat. Post Nicænam in Laodicena Synodo *can. ult.* catalogus refertur librorum sacræ scripturæ, a Nicæno diversus: omittitur enim liber Judith. Post Laodicenam in Concilio Carthag. III. *can. 47.* hujusmodi Catalogus texitur diversus a Laodiceno: probatur tamen Carthaginensis catalogus ab Augustino *lib. 2. de doctrina Christiana cap. 8.* qui dicto Concilio interfuit. Postremo Innocentius I. in *dicta epistola* alium etiam catalogum fecit: qui tamen catalogi, quia inter se non conveniebant, opus fuit ut tandem post multas controversias certum aliquod decretum de scripturis promulgaretur; quod & factum est in Concilio Trid. sess. 4. ubi & index accuratus confectus est, non tantum singulorum librorum, sed etiam versionum, ne qua deinceps dubitatio suboriretur. Ita libro-

brorum differentia sublata, de qua supra diximus, simpliciter & generaliter duplex tantum ordo colligitur; Canonicorum, & non Canonicorum; nec amplius occurrit illa media species, controversorum: quod & antea in Laodicena Synodo actum fuerat, in cujus *can. ult.* omnes libri dividuntur in Canonicos, & non Canonicos, sive ἀκανονιστοὺς; sicut in *dicta epistola* Innocentii I. & in Concilio Carthag. III. Quibus ita constitutis satisfactum est dubitationibus veterum; nec videntur amplius necessaria consilia Hieronymi, & Augustini, de quibus supra dictum est, ad cognoscendas, & discernendas Scripturas controversas; cum ex lectione solius indicis Concilii Tridentini omnis scrupulus eximatur. Ne tamen quod antiquitas ea de re senserit, ignoretur; utile duximus progressum Juris indicare. Et hæc de illa parte Juris scripti, quæ ad sacras Scripturas pertinet.

Exposuimus primam & nobilissimam Juris Canonici scripti speciem, quæ ad canonicas Scripturas pertinet, in quibus constantissime hæc regula servari debet; ut omnibus posterioribus Episcoporum & Tractatorum literis & scriptis præponantur, & plenissima fides eis adhibeatur: imo si quid in illis invenitur, quod sensui nostro repugnet; hunc honorem & timorem deferre debemus, ut contra sentire non liceat. Et hæc regula, sive præceptum ex Augustini scriptis refertur in *can. 3. 5. 8. 9. & 10. Dist. IX.*

§. V.

De altera specie Juris Canon. Scripti, sacris sc. Canonibus; quæ collecti sunt ex Conciliis, Constitutionibus Pontificum & Patrum dictis. De duobus posterioribus strictim quædam hic proponuntur.

Se-

Sequitur ſecunda ſpecies Juris ſcripti, quam ad Canones pertinere diximus; & hanc ſpeciem recte tripertitam dixerimus eadem forma, & figura loquendi, qua jus privatum a Juſtiniano dicitur tripertitum; quia collectum eſt ex naturalibus præceptis, aut gentium, aut civilibus. Tripertita igitur eſt iſta ſpecies: Canones enim omnes collecti ſunt ex Conciliis, aut ex Conſtitutionibus Pontificum, aut ex dictis Patrum; quæ partitio confirmatur a Gelaſio in *canone tertio Diſt. XVI.* & a Leone IV. *in can. 1. Diſt. XX.* qui & hunc ordinem obſervant, ut ſanctorum Conciliorum Canones præferunt; deinde decretales epiſtolas ſubjiciant, vel decretalium regulas, id eſt, quæ habentur cum Canonibus apud nos, ut loquitur Leo IV. in *dicto can. 1.* quæ verba ſumme notanda ſunt, & alio loco commodius explicabuntur. Poſtremo ex Patrum ſcriptis, quædam dicta excerpta proponunt, quæ non modicam in jure Canonico obtinent autoritatem; de quibus judicium Leonis IV. in *dicto can.* ſumme notandum eſt: *Si tale contigerit, vel emerſerit inuſitatum negotium, quod minime poſſit per iſtos definiri* id eſt per Epiſcopos & Pontifices; *tunc ſi illorum quorum meminiſtis, dicta Hieronymi, Auguſtini, Iſidori, & cæterorum ſimiliter ſanctorum Doctorum ſimilium reperta fuerint, magnanimiter ſunt retinenda ac promulganda.* Quod ita tamen debet accipi, ut hujusmodi autores & dicta eorum, vel per aliorum Patrum graviorem autoritatem, doctioremque prudentiam, vel per Concilia liceat reprehendere, ſi quid forte in eis a veritate deviatum eſt; quod Auguſtinus præcipit in *can. 3. 4. 8. 9. & 10.* Diſt. IX. & Auguſtini

ſinceritas admiratione digna eſt, qui eo jure in ſuis ſcriptis uti poſtulat, quod in alios ante ſtatuerat.

Eundem ordinem ſecutus eſt Gratianus in Decreto: agit enim primo de Conciliorum origine, autoritate, differentia, & numero, in *Diſt. XV. XVI. XVII. & XVIII.* deinde in *Diſtinct. XIX.* de epiſtolis decretalibus Pontificum, & earum vi & poteſtate: poſtremo in *Diſt. XX.* tractat de dictis & ſcriptis Patrum. Et primo quærit, an eandem vim & robur obtineant, atque decreta & Conſtitutiones Pontificum Rationem dubitandi adfert, quod plurimi Tractatorum & Patrum Eccleſiæ ſcientia præcellant Pontificibus; unde nonnullorum Pontificum conſtitutis Auguſtini, Hieronymi, atque aliorum dicta videntur præferenda: quam dubitationem hac diſtinctione ſoluit, aliud eſſe ſcripturas interpretari, aliud negotiis finem imponere. In negotiis definiendis, ad quæ Canones potiſſimum pertinent, non tantum neceſſaria eſt ſcientia; ſed poteſtas, dignitas & autoritas requiritur, quæ jurisdictionis eſt, quam ſoli Epiſcopi & Pontifices habent; Tractatores & Partes (*) Eccleſiæ non habent. Itaque non mirum eſt, ſi in ſacrarum Scripturarum expoſitionibus eis aliquando præponantur; in cauſis vero definiendis ſecundum tantum poſt eos locum mereantur. Conciliorum autem decreta ſcriptis & dictis Patrum præferenda ſunt; imo per Concilia poſſunt reprehendi, ut nominatim dicitur in *can. 8. Diſt. IX.* Ex quibus omnibus colligitur, Concilia obtinere

(*) Legendum puto; Patres. S.

re primum ordinem, ſecundum Pontificum inſtituta, tertium dicta, ſeu ſcripta Patrum.

Et quidem de dictis Patrum ſufficiunt quæ diximus. De Conſtitutis Pontificum & Decretalibus, earumque diviſione multiplici & autoritate, alius erit dicendi locus; in præſenti tantum quædam addemus de Conciliorum autoritate & differentia.

§. VI.

De Conciliis, eorumque origine; maximeque de Concilio primo Apoſtolorum.

Poſt ſacras Scripturas primam autoritatem obtinent in Eccleſia ſancta Concilia: imo partem Scripturarum conſtituunt. In Actis enim Apoſtolorum origo prima Conciliorum invenitur, verbi gratia, in cap. 1. 4. 6. 8. & 15. quod & recte nonnulli Collectores in fronte Conciliorum præmiſerunt. Eminet vero inter illa Concilium Hieroſolymitanum, ex univerſa, quæ tunc erat Eccleſia, collectum, ubi de legalibus ceremoniis; maxime vero de circumciſione controverſia gravis apud Antiochiam nata diſſolvitur.

Cæterum hæretici quidam, ut Eunomius, dixerunt ex hoc loco, in quo dicitur: *viſum eſt Spiritui Sancto & nobis*, *Actorum* ſcilicet *cap. 15.* Spiritum Sanctum non eſſe Deum, quia conjungitur Apoſtolis, qui non ſunt Dii. Quibus reſpondet D. Chryſoſt. *Serm. de lege & fide* non eſſe novum in ſcriptura conjungi Deum cum hominibus. Nam *Exodi 14.* videre eſt conjungi Deum Moyſi his verbis: *Credidit populus in Deum & in Moyſem. Et 1. Regum* ſcriptum eſt; *& timuit omnis populus Deum & Samuelem.*

Et alio loco dicitur: *Gladius Deo & Gedeoni.* Et concludit in hunc modum: *Ut enim conjungitur Moyses Deo, non ut par honore, sed ut minister Dei; & Samuel, non ut æqualis Deo dignitate, sed ut Propheta; & Gedeon, non ut ejusdem honoris, sed ut belli dux: ita juncti sunt Apostoli Spiritui Sancto, non ut Dii, sed ut Prædicatores Evangelii.* Et D. Basilius idem respondet *lib. 5. adversus Eunomium*, utiturque iisdem exemplis, aitque *Apostolos dixisse: visum est Spiritui Sancto, & nobis non se ipsos componentes Spiritui Sancto, sed supponentes.* Apostoli ergo licet haberent Spiritum Sanctum, ut de se testatur D. Paulus *1. ad Cor. cap. 7.* cum ait: *puto autem quod Spiritum Dei habeam*: (dicit autem puto vel credo, non quod dubitaret, sed modestiæ tantum causa;) & abundarent etiam ejus gratia, ut non viderentur indigere consilio ad ea, quæ agenda erant: non tamen voluerunt in *dicto cap. 15. Act.* definire, an gentes essent circumcidendæ, quæ transire volebant ad Christianam fidem, ante quam essent communiter congregati. Ibi enim orta dicitur contentio inter Judæos factos Christianos & Gentiles, fidem quoque suscipere volentes. Judæi enim & Antiochiæ & Hierosolymis contendebant, non posse Gentiles admitti ad fidem Christianam, nisi prius circumciderentur, & alia legis Mosaicæ præcepta servarent. Quibus cum Paulus & Barnabas mitterentur Hierosolymam ad consulendum super ea quæstione reliquos Apostolos, qui maturo consilio habito censuerunt, gentibus fidem recipientibus non esse imponendam hanc necessitatem, ut essent obnoxii in totum legi Mosaicæ: esse tamen

quæ-

quædam in illa lege contenta, quæ gentilibus essent necessario observanda, & quæ illi apud gentes minime observabant; imo libere exercebant: nimirum 1. ut ab Idolothytis abstinerent. 2. a sanguine & suffocato. 3. a fornicatione, quatenus scilicet ea apud eos erat in usu. Et hæc tria tantum ex legibus Mosaicis observanda præscribuntur gentilibus *cap. 15.* Nam Judæi hæc tria observabunt. Singula Exempla doctissimis notis explicavit Fronto Ducæus in *appendice ad Basilium.*

Ex illo itaque principio & fonte derivata est in Ecclesiam Conciliorum frequens & necessaria consuetudo; quorum saluberrimam esse autoritatem, ait Augustinus in *can. Illa autem Dist. XII.* Augustini tamen consilium & ἑυρεματικὸν, quoties de Conciliis occurrit controversia, observandum est in *lib. 3. cap. 14.* contra Maximinum Arianum Episcopum, qui Ariminense Concilium opponebat Nicæno: respondet ita Augustinus. *Sed nunc nec ego Nicænum, nec tu debes Ariminense, tanquam præjudicaturus, proferre Concilium: nec ego hujus autoritate; nec tu illius detineris. Scripturarum autoritatibus, non quorumque propriis, sed utrisque communibus testibus, res cum re, causa cum causa, ratio cum ratione concurret.* Quod tamen prudenter & secundum leges illius disputationis intelligi debet, ut constat ex initio *lib. 1. contra Maximinum.* Eodem spectat *epistola* Concilii Alexandrini scripta nomine Concilii ab Athanasio *tomo I.* apud Athanasium p. 717. 718. & seq.

§. VII.

Divisio conciliorum in universalia & particularia.

Conciliorum vero duplex est divisio. Vel enim universalia sunt & œcumenica, vel particularia. Universalia & œcumenica, quia fiunt ex universo orbe Christiano, eademque ratione plenaria etiam dicuntur; de quorum autoritate ita loquitur Augustinus *lib. 2. de Baptismo contra Donatistas cap. 3. Ipsa Concilia, quæ per singulas regiones vel provincias fiunt, plenariorum Conciliorum autoritati, quæ fiunt ex universo orbe Christiano, sine ullis ambagibus cedunt.* Inter illa vero Concilia œcumenica quatuor sunt celeberrima, Nicænum primum, Constantinopolitanum primum, Ephesinum & Chalcedonense; quæ sicut sancti Evangelii quatuor libros se suscipere & venerari fatetur Gregorius I. in *can. sicut Dist. XV.* Hæ sunt quatuor Synodi principales fidei doctrinam plenissime prædicantes, *can. 1. Dist. XV.* quamvis Concilia reliqua œcumenica, quæ postea legitime sunt convocata, maximæ sint etiam venerationis & autoritatis; usque adeo ut & illa quatuor sequentia usque ad octavum, in confessionibus fidei contineantur, quas summi Pontifices & majores Patriarchæ, & Episcopi solebant in suis promotionibus scribere ad Episcopos primarum sedium, ut constat ex *can. 8. Dist. XVI.* & ex registro Gregorii primi *epistola 24. 25. & 26. lib. 1. registri*, ubi epistolæ hujusmodi, sicut & alibi, sæpius vocantur Synodicæ; quia non soli, sed habito frequenti consilio eas scribebant, & ad Episcopos dirigebant.

Observandum autem imprimis quod de Conciliis œ-

œcumenicis scribit Augustinus loco supra dicto, *sæpe Concilia universalia emendari a posterioribus, cum aliquo experimento rerum aperitur, quod clausum erat, & cognoscitur, quod latebat, sine ullo typho sacrilegæ superbiæ, sine ulla inflata, cervice arrogantiæ.*

Quod si quæ sunt Concilia a sanctis Patribus instituta, præter œcumenicorum autoritatem, & custodienda, & recipienda decernuntur *dicto can. 1. & 3. Dist. XV.* Hujusmodi autem particulares Synodi subdividuntur tripliciter. Primo sunt unius tantum civitatis, quæ ab uno Episcopo, & ex Clero suæ civitatis convocantur, quibus Episcopus præsidet. Secundo sunt unius provinciæ, quas Metropolitani convocare debent, eisque præesse, can. 2. 4. & 7. Dist. XVIII. quæ Concilia perfecta vocat Concilium Antiochenum *can. 16.* ad differentiam Synodorum unius civitatis, quæ minus plenæ & perfectæ videntur. Tertio Synodi sunt plurium simul provinciarum, quas Synodos vocant Diœceseos: Diœcesis enim in jure & in canonibus plures simul continet provincias. De his meminit *lex 23. Cod. Theodosiano de Episcopis & Clericis & canon. penult.* Concilii Constantinopolit. in Collectione Græca, τὰς τῆς Ποντικῆς, καὶ τῆς Θρακικῆς διοικήσεως Μητροπολίτας, & *canon duodecimus* Concilii Antiocheni, ubi & appellantur majores Synodi, quia convocantur a Patriarchis, vel Primatibus ex universa diœcesi, pluribus metropolitanis in unum convenientibus ἐπὶ μείζονα Ἐπισκόπων σύνοδον. Tantæ vero sunt autoritatis, ut aliquando universalia dicantur, & plenaria, quæ frequens ap-

pellatio est in Conciliis Africæ: imo & in Conciliis Gallicanis, & Hispanicis hæc eadem appellatio sæpe reperitur; quando nempe ex universitate & soliditate Galliæ, Africæ, & Hispaniæ convocantur, non tantum separatim ex una provincia.

In omnibus vero Conciliis tam œcumenicis, quam particularibus, hæc regula non omittenda est; ubi *discors sententia invenitur in gestis Conciliorum, illius Concilii magis teneri sententia debet, cujus aut antiquior, aut potior extat autoritas*; quæ regula continetur in *can. 28. in fine Dist. L. & can. II. Causa XXIII. Qu. 2.* quam iterum inculcat Innocentius III. in *celebri epistola 124. lib. 2. ad Compostellanum Episcopum*, de controversia exorta inter Compostellanum & Bracarensem Episcopum super finibus metropoleos Galleciæ. Ita, cum secundum Concilium Bracarense præcesserit Emeritense Concilium, & celebrius habeatur, ut de quo plura sunt assumpta capitula in corpore Decretorum, patet profecto, quod illud debet isti præferri, sicut cautum habetur in canone: quia quoties in gestis Conciliorum discors sententia invenitur, illud est præferendum, cujus antiquior & potior extat autoritas.

Observandum postremo, non esse temere credendum Gratiano *Dist. XVII. & XVIII.* in quibus asserit Episcoporum Concilia esse invalida & ad definiendum & constituendum; non autem ad corrigendum vel exequendum: quod aliter se habere ex locis supra citatis constabit. Verum ea quæstio indiget prolixiori disputatione, quam aliquando accurate instituemus.

Pars

PARS SECUNDA.

DE VARIIS CANONICI JURIS COLLECTIONIBUS, ET PRIMO ORIENTALIUM, SEU GRÆCORUM.

§. I.

Præmittuntur quædam generalia de Conciliis, eorundemque Actis & Canonibus.

Expoſitis duabus ſummis diviſionibus juris Canonici, earumque ſpeciebus ſigillatim & fuſe ſatis; conſequens eſt, ut ad nobiliores Canonum Collectiones indicandas veniamus, quia ex illis fontibus, quos aperuimus *cap. ſuperiori*, potiſſimum derivatæ ſunt. Collectiones enim omnes juris Canonici, vel ad fidem, vel ad mores, ſeu Eccleſiaſticam diſciplinam pertinent; itemque collectæ ſunt ex jure ſcripto, vel non ſcripto: præcipuum tamen locum in Collectionibus antiquiſſimis Concilia ſibi vindicant; ideoque pauca generaliter ad ea ſpectantia delibavimus.

Obſervandum Concilia ſive univerſalia, ſive particularia, duplici ratione, & methodo digeſta & compoſita ad nos perveniſſe quorundam enim habemus acta integra; reliquorum canones tantum ſejunctos & ſeparatos ab Actis.

Acta illa, quæ a Græcis appellantur vulgo πρακτικὰ exactiſſime & pleniſſime continent ſingula, quæ in Conciliis agitabantur, ſive ad mores, ſive ad fidem, ſive etiam ad ſolemnia, ordinem & formam judicandi pertinerent: actoris & rei allegationes, diſceptationes omnes, ſingulorum Epiſcoporum ſenten-

tias, interlocutiones, & decreta Judicum: ita ut nihil omnino in illis prætermitteretur. Hujusmodi acta supersunt Concilii Ephesini, Chalced. & aliorum; a quibus diversæ sunt Conciliorum historiæ, velut historia Nicæni primi a Gelasio Cyziceno redacta, & Sabini Heracleæ Episcopi, de qua Socrates *lib. 1. cap. 5. & lib. 2. cap. 11.* & sæpius: quæ tamen cautione adhibita legenda sunt.

Postremo Canones solos habemus plurium Synodorum, quarum acta interciderunt, veluti Niceni, Constantinop. primi, & omnium particularium Synodorum, quæ habentur in antiquissima Collectione Græcorum, de qua mox dicemus.

Sed ut aliquem ordinem in hac tractatione observemus, Collectiones omnes Juris Canonici, quas potissimum ex Conciliis, tanquam ex puris & propriis fontibus fluxisse diximus, facilioris intellectus, & docendi gratia, dividemus in duas species, in Collectiones Ecclesiæ Orientalis & Occidentalis, & singulis singula capita separatim assignabimus; quod & habet rationem: licet enim Ecclesia sit una per totum orbem diffusa, & in unitate fidei conveniat; tamen in his, quæ ad disciplinam pertinent, sæpe variatum est, nec semper inter omnes Ecclesias constitit, ut ostendimus *cap. superiori in divisione 1. parte 2.* quæ ad mores & disciplinam refertur. Sed quod ad rem proxime pertinet, quosdam Canones & Concilia probavit & suscepit Ecclesia Orientalis, quæ vel omnino rejecit, vel pro parte tantum admisit Occidentalis & Romana Ecclesia, ut vel ex his, quæ diximus supra de sexta Synodo licet colli-

go-

gere. Recte vero, & ordine nos arbitremur facturos, si faciamus initium a Collectionibus Orientalis Ecclesiæ, tum quia fides ab Oriente ad Occidentales manavit; tum quia Concilia primò, & nobilissima ibi sunt celebrata, unde & ad nos pervenerunt. Quoniam tamen infinitum esset, & instituto nostro contrarium, omnes Collectiones percurrere; mentionem tantum faciemus præcipuarum, in quibus tria investigabimus, Originem, Artem & autoritatem cujusque Collectionis.

§. II.

De Codice Canonum, qui dicitur, Ecclesiæ Universæ.

Antiquissima Orientalium Collectio continet Canones duarum tantum Synodorum generalium, Nicenæ primæ, & Constantinop. primæ; quinque vero particularium, scilicet Ancyranæ, Neocæsariensis, Gangrensis, Antiochenæ, & Laodicenæ. Quis vero fuerit autor illius Collectionis, ignoratur: conjicere tamen possumus tempus, quo facta fuit; scilicet paulo post Concilium Constantinop. primum & ita circa tempora Theodosii magni. (*) Conjectura no-

(*) Primaria hujus conjecturæ ratio ea videtur, quod Concilii Constantinopolitani canones ultimo loco compareant quod ab Autore nostro h. l. itemque ab Henrico Justello *in Præfat. Biblioth. Jur. Can. vet.* demonstratum est, ideoque Collectorem post hæc tempora demum vixisse necesse sit. Addit aliam rationem Henricus Justellus in *dict. Præf. Bibliothecæ Jur. Can. veter.* quod nimirum in codice MS. Bibliothecæ Palatinæ teste Petro de Marca, & qui Codicem illum vidit,

nostra nititur hoc fundamento, quod Collector Ephesini, & Chalcedonensis Concilii Canones prætermiserit. Desinit enim in canonibus Concilii Constantinop. primi, nec ultra progreditur; ut ait nominatim Dionysius Exiguus sub finem epistolæ, quam præfixit interpretationi Collectionis Græcæ. Verba Dionysii notanda sunt: *Regulas Nicænæ Synodi, & deinceps omnium Conciliorum, sive quæ ante erant, sive quæ postmodum facta sunt, usque ad Synodum centum quinquaginta Pontificum, qui apud Constantinopolim convenerunt, sub ordine numerorum, id est a primo cap. usque ad 165. sicut habetur in Græca autoritate digessimus.* Quæ verba ideo adscripsimus, ut videtur error illorum, qui in antiquam illam Collectionem Græcam aliquos Canones ex Concilio Constantinopolitano retulerunt, & Canones Ephesinos: sunt enim ab alio Collectore postea inserti, & adjuncti huic antiquæ Collectioni; sicut & Chalcedonensis Concilii canones Dionysius Exiguus profitetur se addidisse in *dicta epistola.* Gravior est error illorum, qui Concilium Ephesinum desiderari conqueruntur *) in editione Dionysii Exigui, & eam im-

dit, Christophoro Justello *in præf. ad Cod. Can. Eccl. un. p.* 16 *seq.* nomen Collectoris præfixum fuerit, Stephani scilicet Episcopi Ephesini qui tempore Theodosii Magni vixit. Nihilominus ab hac sententia discedit vir clar. Petrus a Mastricht in *hist. Jur. Eccl. n.* 28. 60. 61. 62. collectionem hanc referens ad tempora post Concil. Nicænum primum, sed levibus omnino, ut mihi videtur argumentis suffultus. S.

(*) Consimilem fere querelam Card. Perronii *in Respons.*

imperitius suplere conati sunt, subrogantes Concilium particulare Alexandrinum, a Cyrillo convocatum contra Nestorium, pro Concilio Ephesino oecumenico, seu universali, quod deinde contra eundem Nestorium congregatum est. Et hæc de origine, & tempore illius Collectionis.

Ars vero & methodus duplex est. Primo ordo temporis; quo quæque Synodus habita est, observatur; hac tamen prærogativa Nicæno Concilio concessa, ut antiquioribus præponatur. Secundo, perpetua serie & arctissimo quodam vinculo omnes Canones conjunguntur; nec separantur unius Synodi Canones ab alterius Synodi canonibus, sed conjunctim & sub eadem consequentia numerorum referuntur, quasi forent omnes unius & ejusdem Concilii, ut ex loco supra citato Dionysii Exigui colligitur, & ex Concilio Chalcedonensi *act. 4. & 11.* aperte confirmatur; in quibus Canones desumpti ex illa Collectione sub eadem numerorum & ordinis observatione recitantur, & secundum illos lites diriimuntur: quod summa prudentia & cautione effectum est. Numerus enim Canonum continuus, & non interruptus ad hoc maxime confert, ne quis per fraudem & dolum, quod sæpissime contingit, falsos & supposititios Canones subjiceret; cujus ordinis & numeri autoritate jam olim in Gallia sub Chilperico, in causa Prætextati Rhotomagensis Episcopi, nostri

spons. ad M. Brit. Reg. l. 1. c. 53. ridet Justellus *dict. Præf. Bibl. Jur. Can. vet.* cujus verba repetiit Petrus a Mastricht *in hist. Jur. Eccl. n. 64. p. m. 36.* S.

ſtri non tulerunt alios Canones ſibi obtrudi, ut conſtat ex Gregorio Turonenſi *lib. 5. cap. 18.* & multo poſt ea tempora ſub Carolo Caluo doctiſſimus Hincmarus Remenſis refellit illos, qui novos Canones, & incognitos antiquis, in Concilium Nicænum infercire conabantur, ut conſtat ex *opere 50. Capitulorum cap. 21. adverſus Hincmarum Laudunenſem.* Quæ difficultas circa numerum Canonum Nicæni Concilii non eſt nova, ut conſtat ex *canon. 12. & 13. Diſt. XVI.* ex Concilio Africano, & *epiſtolis* Cyrilli Alexandrini, & Attici Conſtantinop. ſuper ea controverſia ad Africanos Patres in VI. Carthag. Concilio convocatos. Ex quibus locis ſæpius Galli jura ſua & libertates tutati ſunt adverſus innovatores. Præterea ex illa conjunctione numerorum diſcimus, omnes diverſarum Synodorum canones, qui in illa Collectione referuntur, eodem jure cenſeri, & quodammodo exæquari, ut infra fuſius declarabimus.

Hactenus de origine & arte, ſeu methodo, Collectionis antiquisſimæ; ſupereſt, ut illius autoritatem in judiciis Eccleſiaſticis maximam ſemper fuiſſe oſtendamus. Et quidem illius autoritate perpetuo utuntur Patres Chalcedonenſis Concilii: nam in *actione 4.* citant *canones 4. & 5.* Concilii Antiocheni, & in *act. 11.* ejusdem Concilii *Canones 16. & 17.* Obſervandum vero canones illos allegari in Concilio Chalcedonenſi, ſuppreſſo nomine Concilii Antiocheni, & numero illo, quo in Antiocheno ſeparatim habentur; ſed tantum generaliter recitantur ex Codice canonum, nempe ſub eodem ordine, & conſequentia numerorum, quo in illo Codice digeſti erant: ſcilicet Canon 4. & 5. Concilii

lii Antiocheni in *actione 4.* Concilii Chalcedonensis recitantur *ut 83. & 84.* nec additur nomen Concilii, ex quo collecti sunt. Itemque in act. 11. ejusdem Chalcedonensis Concilii *canon. 16. & 17* Concilii Antiocheni recitatur *ut 95. & 96.* quod & sæpius occurrit in *actis* dicti Concilii Chalcedonensis. Ex quibus constat Collectionem illam Ecclesiam universam plurimi fecisse, cum in decidendis controversiis solam fere adhiberet. (*) Et quidem Hincmarus Remensis in illis locis citatis ex Concilio Chalcedonensi, prudenter vim & utilitatem Collectionis hujus loco supra citato primus ostendit; cujus vestigia secuti sunt deinde nostro seculo viri doctissimi, qui Collectionem illam sub nomine Codicis Ecclesiæ universæ ediderunt. Annotandum tamen eos addidisse Canones quosdam ex Concilio Constantinopolit. I. De quibus non conveniebat inter Ecclesiam Occidentalem & Orientalem: præterea adjunxerunt Ephesinæ & Chalcedonensis Synodi canones, qui, ut diximus, desiderabantur in illa vetustissima Collectione.

Postea ad plenissimam hujus Codicis confirmationem solvenda est difficultas maxima, quam attigimus supra, sed hoc loco accuratius erit discutienda; quia in varias sententias nostro seculo viri doctissimi abierunt: quæritur scilicet, quia Collectio illa constat ex Conciliis œcumenicis & particularibus, sive localibus, an canones omnes illius Collectionis sint ejusdem roboris & au-

(*) Notanda sunt hæc ob ea quæ infra contra autorem disputabimus. S.

autoritatis? Et quidem *capite superiori* ostendimus in Synodis œcumenicis nullam esse dubitationem, si de jure Canonico quæratur: idem licet affirmare de jure civili ex *lege 3. 5. 6. & 7. Cod. de summa Trinitate & fide Catholica*, *& ex Nov. 115. cap. 3 §. si quis de prædictis*, *& Novella 131. cap. 1.* quibus in locis specialiter tantum fit mentio Synodorum quatuor œcumenicarum; particulares prætermittuntur: quin & in *can. 2. Dist. XV. & in can. 8. 9. & 10. Dist. XVI.* universalia tantum Concilia videntur comprobari.

Huic dubitationi ut satisfaciamus, concedendum est quidem, quod generaliter diximus supra, differentiam constituendam esse inter œcumenicas & particulares Synodos, in quibus servandum quod præscribit Gelasius in *can. 3. sancta Romana* initio *Dist. XV. Sed & si qua sunt Concilia a sanctis Patribus hactenus instituta, post istorum quatuor autoritatem*, id est œcumenicorum quatuor, quæ supra retulerat in eodem can. *& custodienda & recipienda decernimus, & mandamus.* Et hæc in universum & generaliter de omnibus Conciliis particularibus, intelligenda sunt: sed hoc singulare in illis quinque particularibus, quæ in nostram Collectionem diximus esse collata; ut eandem vim & robur in judiciis Ecclesiasticis obtineant, atque ipsa œcumenica: idem quippe in illis contingit, quod Justinianus in suarum legum compositione monet, excerpta ex cujuslibet Jurisconsulti libris in Pandectas relata, perinde esse accipienda, atque si Imperiali ore divinitus essent profusa; quia confirmationem accommodavit Justinianus: ideoque quasi una & simplex ejusdem Justiniani legis-

la-

latio, obtinent in judiciis omnia, quæ in Pandectis & in Codice reperiuntur; quamvis alios Autores inscriptos habeant. Idem etiam de antiqua Collectione licet affirmare, non esse distinguendum inter œcumenicas & particulares illas Synodos, quæ uno & eodem Codice simul continentur, nempe quia Conciliis œcumenicis nominatim confirmatæ sunt & comprobatæ: quod apertius ostendere debemus statim. In can. 1. Concilii Chalcedonensis statuitur: *Canones, qui a sanctis Patribus huc usque constituti sunt, observari æquum censuimus:* quæ verba, quia generaliter & indistincte asseruntur de omnibus Synodis, recte accipientur etiam de particularibus illis quinque, ut Zonaras & Balsamo notant ad *illum Canonem:* quod & verissimum esse ostendemus, si Patres ipsos ejusdem Concilii Chalcedonensis adhibeamus sui Canonis interpretes. Nam supra retulimus, ex locali Synodo Antiochena, quæ est ex illis quinque, Patres Chalcedonenses in pluribus controversiis decidendis Canones desumpsisse; nulla differentiæ nota, an generalis vel particularis foret. Post Chalcedonensis Synodi *dictum Canonem primum* eodem sensu Justinianus in *dicta Novella 131. cap. 1. vicem legum obtinere statuit Canones Ecclesiasticos, a sanctis Synodis quatuor tam editos & promulgatos, quam confirmatos, ἐκτεθεῖσας, ἢ βεβαιωθέντας;* confirmationem & approbationem, de qua supra diximus, spectavit. Sed quia sub generalibus verbis latere videbatur illa confirmatio, ne qua postea difficultas occurreret; in Synodis œcumenicis duabus in *VI. can. 2.* & in *VII. can. 1.* nomina Synodorum particularium, quæ con-

firmantur, sigillatim fuerunt expressa. Et huic confirmationi Ecclesiam Occidentalem consensisse constat ex *can. de libellis Dist. XX.* in quo a Leone IV. summo Pontifice, quinque illæ Synodi particulares nominatim recensentur eadem serie & ordine, quo apud Græcos; si recte Canon ille intelligatur: nam vel in editione Romana laborat, ut ostendemus infra.

Superest difficultas alia majoris momenti: Observandum est enim, licet antiqua illa Collectio multis annis post Concilium Sardicense fuerit composita, nempe statim post Concilium Constantinopolit. I. licet Sardicense Concilium in Orientis partibus habitum fuerit, ut loquitur Nicolaus Papa, scribens ad Clerum Constantinopolit. in *can. ult. Dist. XVI.* & illius Concilii Canones Græce & Latine conscripti fuerint, in ea tamen collectione fuerunt omissi: imo quod magis; Sardicensis loco Antiocheni Concilii Canones fuerunt inserti, quamvis contra Concilium Antiochenum Sardicense postea convocatum fuerit. Auget dubitationem, quod Sardicense Concilium in celeberrima causa Athanasii fuerit habitum, qui damnatus fuerat Antiochiæ: in Sardicensi inter Occidentales plerique Orientis Episcopi subscripserunt: denique tantæ fuit autoritatis Sardicense, ut appelletur œcumenicum ab Imp. Justiniano in *edicto de fide*; quod edictum dictatum fuisse in quinta Synodo œcumenica ab Episcopis, refert Hincmarus in *opere 50. Capitulorum cap. 26.* & in novissima editione Conciliorum Romana, inter œcumenica refertur statim post Nicænum, & ut ejus appendix: Antiochenum vero a Semiarrianis Episcopis in Oriente est habitum

in

in necem magni Athanasii, quem quidam Orientales in Synodo Antiochena per fraudem nitebantur opprimere: in quem Athanasium Synodi Antiochenæ *canones* 4. 11. 12. 14. & 15. oblique statuti sunt, ut ei appellationis ad sedem Apostolicam remedium adimeretur.

Sed ut breviter hunc difficilem nodum solvamus, observandum, in his, quæ ad disciplinam Ecclesiasticam pertinent, Canones Antiochenos fuisse admissos in Orientali Ecclesia, etiam illos, quibus Athanasius oppressus est. Ad Rom. enim Episcopum appellari ægre ferebant Orientales. (†) Unde & multis annis post Athanasii damnationem & restitutionem, post Sardicensis Synodi Canones promulgatos, in causa Cyrilli Hierosolymitani (*) eodem jure usi sunt Orien-

(†) Eandem rationem affert Henricus Justellus *in Præf. Bibl. Jur. Can.* contra Card. Perronium, qui imperitiæ & malæ fidei arguerat ejus Patrem, Christophorum Justellum, quod in editionem suam Codicis hujus Canonum, Sardicenses canones non admiserit. S.

(*) De causa Cyrilli Hierosol. vide Socratem *lib. 2. cap. 32.* p. 602. in fine & 603. & *cap. 33.* Sozomenum *lib. 4. cap. 21.* initio strictim & *cap. 23. 24. & ult.* Theodoretum lib. 2. c. 27. Nicephorum *lib. 9. cap. 47.* sub finem *& cap. 46.* Hist. Tripartitam *lib. 5. cap. 34.* in fine, ibi, *sicut in publicis judiciis, libellis uteretur appellatoriis.* Adde *cap. 37. & 40.* Socrates loco citato p. 603. ἐκκλήτοις ὡς ἐν δημοσίῳ δικαστηρίῳ χρησάμενος. Le Cardinal du Perron en sa Replique, pag. 426. & 438. ubi tamen fallitur. Sed adde A Costa ad *tit. de libelli oblatione, & ad tit. de Judiciis.*

(*)

entis Episcopi, quod in canonibus supra dictis Concilii Antiocheni continetur: adeo ut convocata Synodo Constantinopolim contra Joannem Chrysostomum, cui præerat Theophilus Alexandrinus, eoque condemnato, Theophilus & Episcopi reliqui Chrysostomi appellationem ad Sedem Rom. neglexerint; qui ad Innocentium I. summum Pontificem confugerat. Nec defuit Innocentius I. Literis enim ad Chrysostomum & ad Clerum Constantinop. datis, causam Chrysostomi suscepit, in quibus literis rejicit canones illos Antiochenæ Synodi, quibus appellatio generaliter inhibetur, ut constat ex Sozomeno *lib. 8. cap. 16.* qui Chrysostomi & Innocentii epistolas refert. Occidentales nihilominus permanserunt in eadem sententia; unde & dissensio maxima inter Ecclesias Orientales & Occidentales exarsit. Concilia scilicet Conciliis, & Canones Canonibus opponebant; Occidentales Sardicenses, Orientales vero Antiochenos: quæ controversia sæpius renovata est, ut ex historia Ecclesiastica colligere licet; adeo ut Photius Nicolao I. scribens objecerit, Sardicenses Canones in Orientis Ecclesiis non suscipi, ut colligitur ex *epistola* Nicolai I. *ad Clerum Constantinop.* cujus pars habetur in *can. ult. Dist. XVI.* Unde in *præfatione* antiquissima Sardicensis Concilii adnotatur, Sardicenses Canones non apud Græcos, sed apud Latinos magis inveniri. Eandem præfationem repetit Hadrianus I. in Collectione Canonum, quam obtulit Romæ Carolo Magno: cui convenit, quod ait Dionysius Exiguus in *epistola*, quam præfixit suæ Collectioni canonum, de qua *sequenti cap.* agemus. *In Chalcedonensis Concilii decre-*

cre-

cretis finem esse, ait, *Græcorum Canonum, quibus se subdere monet Sardicensis & Africani Concilii decreta, quæ Latine sunt edita.* Unde in Concilio Constantinop. primo *can. 5.* appellatur nominatim, τόμος τῶν δυτικῶν, id est *tomus, sive liber Occidentalium.* Ex quibus efficimus, Sardicenses canones non admissos fuisse statim ab initio in Oriente; maxime propter canones de appellationibus ad Sedem Romanam, qui adversabantur Antiochenis, quos Episcopi Orientales, ut diximus, ediderant. Et hæc est ratio, cur Græca illa Collectio antiquissima canones Sardicenses non habeat. Nam & eandem ob caussam Africani Patres eos neglexerunt, quia eadem prærogativa, qua Orientales, se tuebantur; nec appellationes transmarinas æquo animo admittebant, ut constat ex pluribus locis Conciliorum Africanorum. Et hæc primo sufficiant, ut respondeamus quæstioni propositæ, cur Sardicensis Synodi canones in antiquissima Collectione Græcorum desiderentur.

Ex decisione vero hujus difficultatis apparet, non recte a quibusdam (*) Collectionem illam antiquam decorari titulo specioso & generali nimis *Codicis Canonum Ecclesiæ universæ.* Cautius & prudentius multo

(*) Notat hic Christophorum Justellum, qui primus A. 1610. hanc Collectionem sub hoc titulo edidit, recusam postea tum Helmestadii A. 1643. in 4. cura Gebh. Theod. Mejeri, qui luculentam præfationem addidit; tum ab Henrico Justello *in Biblioth. Jur. Canon. veter.* A. 1661. qui Patrem, Christophorum, defendit, rationibus, quas statim Autori opponemus.

to ex his, quæ diximus, inscribetur *Collectio Canonum Orientalium* tantum: ita enim appellant Dionysius Exiguus, Martinus Bracarensis & Hadrianus I. (*) Si enim Collectio illa, tanquam Codex universæ Ecclesiæ suscipiatur, quo solo scilicet Catholica Ecclesia per universum orbem diffusa utebatur; cur Sardicensis Concilii, quod & aliquando œcumenicum vocari diximus, Canones omissi? cur Arelatensis primi in causa Donati? quod Augustinus plenarium, & universale & universæ Ecclesiæ Concilium appellat *lib. 2. de Baptismo cap. 9. & Epistola 162.* Cur Valentinum I. in Gallia? Cur Eliberinum in Hispania, & aliquot Africana fuerunt omissa? in quibus Canones editi, qui doctrina & pietate Græcis canonibus exæquari possunt. Sed sibi & suis, id est Orientalibus, Autor ille, ut diximus, operam dabat. Itaque illi non est imputandum, si Synodorum Occidentalium Canones omiserit, apud suos in usu non receptos, vel omnino incognitos. (**)

Non-

(*) Adde argumentum ex *Epistola* Innocentii I. ad Clerum Constantinopolitanum juncta *epistola 5.* Concilii Italiæ a Sirmondo edita.

(**) Leves videntur hæ rationes Florentis nostri Henrico Justello, qui omnino titulum *Codicis Canonum Ecclesiæ universæ* vindicandum censuit. *Nec enim,* ait in citat. præf. Biblioth. Jur. Can. vet. *necesse est, ut illa collectio codicis universæ Ecclesiæ titulo gaudeat, ut omnes conciliorum canones a singulis Ecclesiis receptos & editos complectatur; sed sufficere videtur, quod primis Ecclesiæ temporibus quibus editus fuit hic Codex, illo solo, nec alio uteretur Ecclesia universalis in disceptandis de disciplina controversiis, quemadmodum a Concilio Chalcedo-*

Nondum absolvimus: hæret adhuc scrupulus: demus enim justam fuisse causam omittendi Sardicensis & reliquorum Occidentalium, cur tamen Antiocheni inserti fuerunt, ab hæreticis Episcopis, nempe Semiarrianis, ut diximus, compositi? Nam, ut ait Innocentius I. in *epistola ad Clerum & populum Constantinopolitanum*, quam apud Sozomenum extare diximus lib. 8. de Canonibus Antiochenis loquens, & eos cum Sardicensibus comparans: *hæreticorum commenta Canonibus Catholicis assumere non licet, & addere aliquid non est permissum.* Quod intelligendum esse de Canonibus Antiochenis indicant Georgius Patriarcha Alexandrinus in *vita* Joannis Chrysostomi sub finem, quæ extat apud Photium in *Bibliotheca*, Palladius, vel potius scriptor vitæ, æqualis Chrysostomo, & ex eo Georgius, & ejus abbreviator Photius, ut & Anonymus in *vita* ejusdem S. Chrysostomi. Respondemus separanda esse, quod toties inculcavimus, ea, quæ sunt fidei, ab illis, quæ sunt disciplinæ: Antiochenam fidei formulam improbari; Canones vero, qui ad disciplinam & politiam Ecclesiasticam in ea Synodo promulgati fuerint, non damnari. Si enim Canones illos excipias, quos notavimus supra, tacite jus appellationum ad sedem Roma-

donensi factum legimus. Addimus, ipsum Autorem supra testatum fuisse, *Collectionem hanc Ecclesiam universam plurimi fecisse, cum in decidendis controversiis solam fere adhibuerit.* Quin & in Latinam linguam translatam eadem ex causa notum est, & ab Autore h. l. part. 3. §. 1. etiam narratur. S.

manam adimere; reliqui omnes ad mores componendos & Ecclesiasticam politiam constituendam sunt utilissimi; ideoque secundum illos Canones multas lites ostendimus esse decisas in Concilio Chalcedonensi. Quin & ab omnibus Collectoribus antiquis & novis, Græcis & Latinis, pariter suscepti sunt, & ab aliquot summis Pontificibus comprobati, ut ex *can. de libellis Dist. XX.* & locis supra citatis in enumeratione Conciliorum confirmavimus: quibus addere licet Joannis II. summi Pontificis autoritatem, in *epistola ad Cæsarium Arelatensem*, nuper edita a clarissimo Sirmondo, in qua inter Canones, quos epistolæ suæ subjicit, selectos ad examinandam causam contumeliosi Episcopi, qui depositus fuerat a Cæsario, *canones 4. & 5.* (*) Antiochenæ Synodi retulit. Itaque, ut præcidamus, damnatur fides Synodi Antiochenæ, quia Nicænam impugnabat, non directe quidem, & apertis verbis, sed oblique tamen, ut ex ipsa formula colligit Sozomenus *lib. 3. cap. 5.* Non dissimili ratione sæpius accidit, ut licet Ecclesia Romana & Occidentalis quorumdam Conciliorum etiam generalium fidem & symbola in illis edita susceperit; gesta tamen reliqua & Canones omnino repudiaverit: ideoque Innocentius I. in *dicta epistola ad Clerum Constantinopolitanum*, (**) solos Canones Nicænos se profitetur suscipere: quamvis ante Innocentium I. Synodus Constantinop. I. Canones

(*) Exciderant Cæsario.

(**) Adde Epistolam 5. Concilii Italiæ à Sirmondo editam.

(*)

nes edidisset; sed eos Rom. Ecclesia non suscipiebat, ut ex *dicta* Innocentii Epistola colligere licet, & ex Gregorii Magni *lib. 6. epist. 31.* his verbis; *Romana Ecclesia eosdem Canones* scilicet Constantinop. *vel gesta Synodi illius, hactenus non habet, nec accipit; in hoc autem eandem Synodum accepit, quod est per eam contra Macedonium definitum.* Nihilominus tamen Pontifices Rom. aliquando illorum Canonum autoritate utuntur. Nicolaus I. doctissimus Pontifex, in *epistola octava ad Michaelem Imp. Orientis* in causa Photii ita censet: *Quod proinde Constantinop. Synodus Canonum suorum sexto dignoscitur perhibere capitulo, quod tamen non apud nos inventum, sed apud vos habere perhibetur.* Aliquid simile de aliquibus Canonibus Chalcedonensis Synodi adnotat Gregorius *lib. 5. epistola 14. & lib. 7. epistola 46.* Quod & nos in sexta Synodo contigisse ostendimus supra. Ex quibus confirmatur evidentissime circa ordinem & numerum Canonum Ecclesias Orientales & Occidentales variavisse; quamvis in rebus fidei optime convenirent. Quinimo, ne longius abeamus, rebus ipsis dictantibus, & usu comprobante, videmus in novissima Gratiani Collectione plurimos Canones, & in ipsis Decretalibus, plures Pontificum Constitutiones apud plerosque Occidentis populos, præsertim apud Gallos, non observari; nec tamen ullum schisma, vel divisio Ecclesiarum propterea contigit. (*)

Et

(*) V. Anastasii Bibliothecarii *Præfationem* in Collectanea ejusdem a Sirmondo nuper edita, & adde quæ supra scripsimus *parte 1. §. 2. voc. secunda regula.*

(†)

Et hæc sufficiant de antiquissima Collectione canonum Orientalium, & de autoritate Conciliorum, quæ in ea continentur; in quibus explicandis & confirmandis ideo diutius sumus immorati, quia reliquis omnibus Collectionibus materiam suppeditant. Superest modo, ut compendii & brevitatis causa celebriores tantum ordine temporum persequamur; & convenienter instituto nostro in singulis originem, artem, & autoritatem breviter investigemus.

§ III.

De Synagoge Canonum Joannis Antiocheni, quam Autor Theodoreto Cyrensi Episcopo adscribit; itemque de ejusdem Joannis Antiocheni Nomocanone.

Ocurrit secunda, quæ Theodoreti Cyri Episcopi nomen præfert in Cod. MS. Regiæ bibliothecæ, nondum edita. (†) Synagoge vero inscribitur eadem forma, qua apud Socratem *lib. 1. cap. 5. & lib. 2. cap. 11.* Sabini Episcopi Ariani Collectio nominatur. Est autem composita ex iisdem Conciliorum Canonibus, quibus & superior; sed præterea adjunxit Theodoretus Canones Apostolorum 85. & Synodi Sardicensis *can. 21.* quot sunt omnino in Græco; (*) quos Canones prætulit Antiochenis, licet tempore posteriores. Addidit præterea quatuor ex Constantinopolitana Synodo, qui in antiquissima Collectione deerant, Ephesinos 7. & Chalcedonenses 27. Item ex duabus epistolis Basilii *canones 27.* non plures. De origine & tempore Collectionis (**) ex ipsa inscriptione

†) Edita hodie est, ut infra notabimus. S.

*) V. Le Cardinal du Perron en sa replique l. 53. du Concile de Sardique p. 432. & 433.

**) Doctissimus Marca *lib.*

ne ſatis conſtat, quæ Theodoreti nomen præfert; ideoque paulo poſt Concilium Chalcedonenſe videtur edita, cui interfuit Theodoretus & dignitati ſuæ reſtitutus eſt, ut conſtat *ex actione 1.* Concilii Chalcedonienſis, cujus Concilii canones retulit, ut diximus, in ſuam Collectionem. Turrianus tamen *lib. 1. cap. 28. pro Canonibus Apoſtolorum*, eam tribuit Conſtantino cuidam Scholaſtico. Antonius vero Auguſtinus in *præfatione antiquarum Collectionum*, & Allemanus in *Notis ad* Procopii *Anecdota*, (*) Joannem Scholaſticum, Patriarcham Conſtantinopolitanum (†) autorem aſſerunt; qui ſcilicet Eutychio in exilium pulſo, a Juſtiniano ſuffectus eſt, & usque ad Juſtini tempora ſedem obtinuit: quibus vero rationibus, ita ſenſerint, mox inquiremus. Hæc de autore & tempore.

Methodum & artem, quam obſervavit, in præfatione Collectionis ſuæ declarat ipſe, ex qua neceſſaria

lib. 3. de Concordia Sacerdoti cap. 3. §. 8.

*) Adde Chriſtoph. Juſtellum *in præf. ad ejus Collectionem, Tomo II. Bibl. Jur. Can. præmiſſa p.* 495. Item Henricum Juſtellum, *in præf. ad dict. biblioth. Jur. Can.* & Petrum de Maſtricht *in hiſt. Jur. Eccleſ. n.* 169. aliosque doctiſſimos viros, qui hic ab Autore diſcedunt, & teſtantur, codices omnes MSS. Jo. Scholaſtici nomen præferre. S.

†) Hunc Joannem deſignari exiſtimem apud Photium in *Bibliotheca* pag. 890. per Joannem gente Cappadocem. Ἰωάννης ὁ Κωνςαντινοπόλεως ſcilicet Epiſcopus ὁ ἐκ Καππαδοκίας ἕλκων τὸ γένος καὶ τὸ ἐπώνυμον, ex Cappadocia gentem & cognomen trahens.

ria quædam notatu dignissima delibavi; & quia latet adhuc in Codicibus manuscriptis, in fine hujus libelli ex Cod. MSS. Regiæ Bibliothecæ subjungemus. In illa Collectione canones integri non referuntur, nec ubique attenditur ordo temporis & series, seu consequentia numerorum, ut in antiqua de qua supra diximus, cujus tacite in illa præfatione meminisse videtur. Sed sub 50. tantum *titulis* breviter jus omne Canonicum comprehendit ea ratione, ut similes canones sub unum & eundem titulum simul conjungat; licet in variis Synodis, pro temporum & negotiorum necessitate fuerint promulgati: nec Canones integros refert, sed sententiam tantum, quam brevissimo verborum compendio certis titulis adstringit & includit; quam formam, multis post annis Photius secutus est in *Nomocanone*. Secundo non temere & fortuito, sed ordine certo tituli singuli digesti & dispositi sunt, qui est hujusmodi; ut quia jura omnia personarum causa constituta sunt, in enumeratione singularum, earumque divisione, & differentia jus omne Canonicum exponat. Incipit quippe ab Episcopis, & occasione rapta omnes Canones ad Episcopos pertinentes refert; similiter deinde de Presbyteris, Diaconis, & Subdiaconis, Clericis, Monachis & Laicis agit; ita ut ad unum summum genus universa Collectio illa, ad personas scilicet, possit revocari: quam methodum & figuram Græci deinde & Latini aliquot Collectores secuti sunt.

Non omittendum quod in dicta præfatione Theodoretus ait *Canones Basilii in Collectionibus antiquioribus non fuisse adjunctos*. Unde colligitur, quo tempore

pore

pore primum Basilii scripta quædam vim & autoritatem Canonum obtinuerunt. Itemque notandum, solius Basilii Canones relatos, nec ex pluribus, sed ex duabus tantum *epistolis canones* 17. quorum a posterioribus non modo numerus est auctus, sed etiam ex aliorum Patrum scriptis plures additi Canones,ut infra dicemus.

Observandum postremo in illis *50. titulis* desinere Collectionem Theodoreti; cui, quod nemo adhuc præstiterat, primum a Joanne Scholastico Patriarcha Constantinopolitano, ex legibus similibus, statutis Canonum, singulis titulis excerpta quædam adjuncta; nempe quia sciebat confirmatos & comprobatos Canones a legibus, non tantum generali aliqua lege,ut *Novella 131. cap.* 2. sed etiam specialibus, & in singulis articulis. Itaque Collectionum, quæ postea Nomocanones appellari cœperunt, originem ad Joannem Scholasticum referre debemus. Floruit autem sub Justiniano,ut diximus, postremus ex quatuor Patriarchis, qui sub eodem Imp. fuerunt, & sub Tiberio mortuus est,ortus ex Sirimi pago Antiochiæ, ante ex numero Advocatorum; unde & Scholastici nomen retinuit. Procopius in ἀνεκδότοις, Evagrius *lib. 4. cap. 37.* sub finem, *& lib. 5. cap. 16.* Nicephorus in *Chronologia*, & varii *Catalogi* Patriarcharum Constantinop. Quædam etiam illius scripta a selecta commemorat Photius in *Bibliotheca*.Joannes autem ille Scholasticus multis annis post Theodoretum autorem Collectionis canonum adjecit excerpta

cerpta ex legibus,*) ut ex duabus diversis præfationibus colligitur, quæ initio Collectionis habentur in Codicibus manuscriptis; in quibus sub finem expresse notatur, Joannem Scholasticum leges subjunxisse: & initio Collectionis autor canonum inscribitur Theodoretus Episc. Cyri. Quod & illo argumento evidentissime probatur, autorem Collectionis decem tantum Synodos a temporibus Apostolorum, ad sua usque tempora celebratas referre, quas enumerat; nec tamen ullam mentionem facit V. Synodi, quæ sub Justiniano est habita; quod profecto Joannes Scholasticus non fecisset, qui scripsit post mortem Justiniani.**) Et hæc de methodo. De autoritate autem præter nomen & famam autoris nihil occurrit dicendum: privata enim opera videtur collecta, ut aliæ plures,nec ulla autoritate publica confirmata, vel in judiciis usu receptæ; quæ omnia tamen in antiquissima Collectione obtinuerunt,ut diximus. Meminisse vero videtur istius collectionis Balsamo ad *can.* 2. Synodi VI. loco singulari in Latina versione Gentiani Herveti, ubi se multos similes libros vidisse testatur.

§. IV.

*) De Autoritate legum publicarum,etiam in Ecclesia vide Hincmarum *tractatu de divortio Lotharii & Thetbergæ*, p. 595. & seq. *Tom. I.* ejus operum editionis Parisiensis.

**)Sed cum illa Synodus nullos ediderit Canones, ista ratio vix alicujus ponderis erit,quod bene monuit. Henric. s Justellus *in præf. Bibl. Jur. Can.* & ex eo Petr. de Mastricht *a. n.* 169. S.

§. IV.

De Photii Nomocanone, ejusque commentatore Balsamone; deque aliis collectoribus strictim.

Procedente tempore, cum sæpius de autoritate Canonum & Conciliorum graves contentiones inciderent, tandem finis impositus est in Synodo VI. *can.* 2. in quo non tantum, qui vulgo dicuntur Canones Apostolorum, & Sardicenses, sed etiam Africani, Carthaginenses & quarundam aliarum Synodorum admittuntur. Præterea plures ex Basilio, & ex antiquioribus & recentioribus Basilio, desumti sunt, qui enumerantur in *dicto can.* 2. ad quem referri debet can. 1. septimæ Synodi. Nec tamen in illis Canonibus, & Synodis ullius Pontificis Rom. vel alterius ex Occidentalibus, fit mentio; quod mirum videri debet, eaque de re conqueritur Nicolaus I. *can. ult. Dist. XVI. & can.* 2. *Dist. XX.*

Juxta VI. & VII. Synodi canones citatos Collectiones omnes Græcorum recentiorum compositæ sunt ex iisdem Conciliorum & Patrum canonibus tantum, de quibus in illis canonibus specialis fit mentio. Inter omnes vero celebratur Photii Constantinop. Patriarchæ Nomocanon. Ex Photii nomine facile tempus deprehenditur, quo editus est; vixit enim Hadriano II. & Nicolao I. Pontific. Romanis, cum quibus ei graves discordiæ intercesserunt; Basilio Macedone in Oriente, & Carolo Caluo in Occidente imperantibus.

Methodum in ea servavit Collectione, quam & Theodoretus, & ad personas jus omne Canonicum retulit: totum autem opus in *quatuordecim titulos*

par-

partitus est, & singulos titulos iterum in capita subdividit; itemque una & eadem opera Canonibus Ecclesiasticis excerpta ex legibus subjicit: peritissimus enim fuit Juris civilis, & ex Senatore Patriarcha factus.

Autoritas vero Nomocanonis Photii tanta fuit, ut Græcorum Canonum Collectionibus præponatur, quia totius Canonicæ scientiæ elementa continet, ut Balsamo notat in *præfatione Nomocanonis;* qui quidem Balsamo jussu Emanuelis Comneni Imp. & Michaelis Anchiali Constant. Patriarchæ Nomocanonem Photii diligenter interpretatus, ad usum sui temporis accommodavit; quia, ut ait, plurimæ leges, quæ tempore Photii obtinebant, longo illo temporis intervallo fuerant abrogatæ, & aliæ novæ promulgatæ; sicut & in Jure canonico aliqua similiter postremis Synodis innovata. Præterea si quid in illo Nomocanone deerat, emendare & repurgare jussus est Balsamo imperatoria & Patriarchica autoritate. (*)

Plures aliæ Græcorum Collectiones extant post Photium; veluti Constantini Harmenopuli, quæ initio Juris Orientalis extat; qui satis explicat initio Collectionis suæ, quam artem adhibuerit; ideoque prætereo quæ de eo dici possunt. Extant & aliæ non adhuc editæ, (†) Theodori Abbatis & Philosophi, Si-

(*) Insertus est Nomocanon Photii cum Commentariis Balsamonis, & Prolegomenis Photii, antea nunquam editis, Tomo II. Bibl. Jur. Canon. veter. Justelli. S.

(†) Simeonis Logothetæ, Aristeni, Arseniique opera edidit Justellus Tomo II. Bibl. Jur. Can. veter. Post etiam Matthæi Blastaris Syntagma Alphabeticum (ita enim

Simeonis Logothetæ, Aristeni Arsenii, Matthæi Blastaris; sed istas attigisse sufficiat.

Diversam methodum secuti sunt quidam recentiores Græci. Collectionibus enim, quæ præcesserant, contenti explicaverunt illas, & Interpretum munere functi sunt; quæ forma tractandi est utilissima. Canonibus enim receptis in dicta Synodo VII. *can.* 2. inservientes, quæ difficilia occurrunt exposuerunt, & si quid usu innovatum, vel receptum fuerit, adnotant; relatis aliquando Patriarcharum, præcipue Constantinop. Synodalibus decretis, & legibus etiam similibus adjunctis, ut Zonaras & Balsamo, quorum commentaria extant in eum modum composita: a quibus tamen cavere debemus; quia fuerunt schismatici, ideoque Romanæ Ecclesiæ, & reliquis Occidentalibus infensi, in quarum odium non tantum multa detorquent, & prave interpretantur; sed etiam falsa quædam proferunt, ut in donatione Constantini, Synodi sextæ aliquot canonibus & locis; & octavæ in causa Photii, licet deprehendere.

Concludamus tandem ex superioribus in canonica scientia pertractanda triplici præcipue methodo usos fuisse Græcos. Prima simplicissima est & antiquissima: disponit enim tantum Conciliorum Canones ordine temporum, & serie numerorum, cujus e-

nim opus ejus, quod ad ordinem literarum compositum est, vocatur) primus in lucem emisit. Guil. Beveregius *Tom. II. Pandect. Canon. Part. II, p.* 1. qui & singularia multa de Arsenii, Simeonisque operibus, *in Proleg. n.* 26. *p.* 17. itemque de Blastare *ibid. n.*34, *p.* 21. *seq.* S.

exemplum in antiquissima Collectione ostendimus. Secunda plus habet laboris & industriæ, quia non verba Canonum integra, sed sententiam in pauca colligit, & sub certis quibusdam titulis disponit; ita ut habita ratione materiæ, jus omne Canonicum comprehendatur, & in artem paulatim redigatur, ut in Theodoreti, Photii, & Harmenopuli Collectionibus observatur. Præterea hujusmodi breviationibus Canonum ex legibus excerpta quædam cœperunt subjici; ita ut in unam quasi consonantiam Jus Canonicum & Civile conjungatur; quod in Theodoreti & Photii collectionibus notavimus. Tertia & postrema species eorum est, qui Canonibus integris, & dispositis eo ordine, de quo in *dicto Canone 2.* Synodi VI. actum est, perpetuas interpretationes & commentaria subjecerunt, ut Zonaras, & post eum Balsamo, quorum scripta in omnium manibus habentur. Sunt & alii nondum editi, sed intra compendii modum consistendum est.

PARS TERTIA.

DE COLLECTIONIBUS OCCIDENTALIUM ANTIQUIS ET NOVIS.

§. I.

Docetur, qua ratione Concilia in Oriente habita in Occidentem venerint; agiturque de Versione prima Codicis Canon. Latina.

SUperiori capite rationes exposuimus cur Collectiones Canonum a Græcis editas separaverimus ab illis, quæ in Occidente, & a Latinis; itemque cur a Græcis principium fecerimus, enumeratis & expen-

pensis insigniotibus Orientalium Collectionibus: sequitur ut ad nostras, id est, Latinas, veniamus, in quibus eadem via & methodo procedemus; nec omnes, sed celebriores tantum recensebimus, & in singulis ex proposito nostro tria investigabimus, originem, methodum, & autoritatem. Scopus autem, & finis totius tractationis hic erit, ut referemus fontes, unde Gratianus hausit suam, quam vocat, Concordantiam Canonum, vulgus Decretum Gratiani; itemque ex quot & quibus Decretalium Collectionibus Gregorius IX. compilaverit Decretales, quæ in scholis autoritate publica prælegi solent; prius tamen quædam præmittenda sunt. Quamvis initio capitis superioris dixerimus, fidem ab Oriente ad nos venisse, ibique celeberrima Concilia primum habita & Canones editos, quibus constituitur Ecclesiæ disciplina: tamen tanta fuit Sedis Apostolicæ autoritas & privilegium, ut & Conciliorum & Canonum confirmandorum jus, & autoritatem sibi vindicaverit, *can. 1. 2. & sequentibus, dist. XVII.* cui jungi debet *can. 1. Dist. XIX.* unde videtur deducta Decretalis Paschalis II. in *capitulo 4. extra de electionibus*; quod tamen Gallia nostra nunquam probavit. Præterea per manus Rom. Pontificis ad reliquos Occidentis Episcopos Concilia & Canones ut plurimum transmittebantur. Absoluto enim Concilio œcumenico aliquo, in Oriente verbi gratia, ad eum mittebantur universa, quæ gesta erant, a Legatis, qui ejus vices gerebant, vel etiam ab ipsis Patribus Concilii, ut constat ex *Synodicis* Concilii Constantinop. I. *ad Damasum*, Ephesini, *ad Cælestinum*, & Chalcedonensis *ad*

S 2 *Le-*

Leonem I. quibus addere licet *epistolam* a Patribus Nicæni Concilii *ad Sylvestrum Pontificem* missum, quæ nuper editionibus canonum accessit, etiam in editione Romana. Ex quibus locis, maxime ex *dicta epistola* Concilii Nicæni *ad Sylvestrum* scripta, (cujus fides valde sublesta est,) colligimus, in eam rem Occidentis Concilia convocari solita a Romano Pontifice maxime ex *epistola Synodica* Concilii Constantinop. I. cujus inscriptio dirigitur, non tantum ad *Damasum Rom. Pontificem*, sed etiam ad *Ambrosium Mediolanensem*, *Ascolium Thessalonicensem*, (de quo in epist. Concilii Italiæ a Sirmondo edita,) *& reliquos Episcopos in urbe Roma convocatos:* optima ratione, nempe ut communi consensu reciperetur & probaretur quod erat pariter ab omnibus servandum. Soluta vero Synodo singuli Episcopi Græcorum canonum versionem ad plebes suas referebant. Hujusmodi fuisse videtur, prisca translatio Conciliorum, quæ etiam hodie extat, (*) & frequentissima fuit in omnibus Occidentis Ecclesiis, ita ut communis & vulgaris interpretationis nomine merito censeri posse videatur. Expressa vero fuit ad instar antiquissimæ Collectionis Græcorum, a qua similiter incœpimus cap. superiori: in utraque enim iidem omnino Canones continentur, & iidem desiderantur. Sicut enim in Græca, ita in Latina Canones, qui vulgo dicuntur Apostolorum desunt, & postremi Canones, Con-

(*) Ab Henr. Justello primum ex Bibliotheca patris in lucem edita *in Biblioth. Jur. Can. Veter, Tom. I. p. 275.*

Constantinop. & Chalcedonenses omnes. Confirmatur etiam ex eo quod in antiquis Conciliis Occidentis ex illa interpretatione Canones allegentur; & Ferrandus Carthaginensis Latinorum Collectorum, qui extant, antiquissimus, perpetuo illam sequitur, & Dionysius Exiguus illius meminit in præfatione interpretationis novæ Canonum, quam fecit, *offensus*, ut ait, *prisca translationis confusione*; qua tamen Episcopi Galliæ & plerique alii Occidentis non sunt offensi: eam enim diutissime retinuerunt; & Hispani quidem nullam aliam adhibent in suis Conciliis, sicut & nostri Episcopi, usque ad Carolum Magnum; post cujus ætatem veteri & nova Dionysii Exigui, de qua dicemus, promiscue sunt usi. Ex quibus cognoscimus, quantæ fuerit autoritatis apud Occidentis Ecclesias; in Gallicana præsertim religiose adeo servata est, ut qui postea addebantur Canones, nostris Episcopis haberentur suspecti; quod in celebri causa Prætextati Episcopi Rothomagensis sibi contigisse Gregorius Turonensis refert *lib. 5. cap. 18. Ipse vero* (Rex Chilpericus) *ad metatum discessit, transmittens librum Canonum, in quo erat quaternio novus adnexus, habens Canones quasi Apostolicos.* Quod si præterea suboriretur gravior aliqua contentio de Canonum numero & autoritate, ad Orientis Sacerdotes scribebant, hoc est ad Ecclesiarum Antiochenæ, Alexandrinæ, & Constantinop. Episcopos; in quarum scriniis authentica & verissima exemplaria diligenter custodiebantur; cujus rei insigne habemus exemplum in Concilio VII. Carthag. & apud Gregorium in *Registro lib. 7. epistola 47.*

S 3 Et

Et hæc de origine & autoritate antiquissimæ interpretationis Canonum, quæ in omnibus similis est Collectioni antiquissimæ Græcorum. De arte & methodo nihil opus fuit dicere: Canones enim tantum integri referuntur, ordine temporum servato, præterquam in Nicæno. (*)

§. II.

De Breviatione Canonum Fulgentii Ferrandi.

Ex illa interpretatione antiquissima, ut diximus, Ferrandus, Ecclesiæ Carthag. Diaconus, Breviationem Canonum confecit; qua hodie nulla reperitur antiquior apud Latinos. Ferrandus enim floruit sub Justino & Justiniano, ut ex Victoris Tununensis Chronico colligitur; cujus ut jam vita functi meminit Facundus Hermianensis Episcopus Africanus *lib. 4. cap. 3.* ubi & ejus fit perhonorifica mentio. (†) Illa autem breviatio Canonum Ferrandi hanc methodum retinet; pluribus Canonibus ex diversis Conciliis collatis in unum, quibus eadem de re agitur, brevem titulum & summam proponit: & quod de Græcis diximus, jus omne Canonicum, paucis exceptis, ad personas revocat; quas distinguit eodem fere modo in Episcopos, Presbyteros, Diaconos &c. Præterea non tantum ex antiqua interpretatione desumpta est illa breviatio sed etiam ex variis Africæ conciliis, quorum pleraque alibi non reperiuntur, quod notandum maxi-

(*) Plura de hac versione habet Petrus de Mastricht in *hist. Jur. Eccl. n. 71. S.*

(†) Confer pluribus Petri a Mastr. *hist. Jur. Eccl. n. 155. seqq. S.*

xime. Unde Cresconius, etiam Africanus, doctis & peritis Canonum tantum scripsisse ait, Ferrandum. *Indoctorum vero*, ait, *quorum est maxima multitudo, in eodem opere studium probatur, ut ita dixerim, sequestrasse, dum eos ad inquisitionem earum rerum præmisit, quæ nec ab omnibus reperiuntur, nec reperta sine eorum fastidio perleguntur.* Epistolas vero & constitutiones Rom. Pontificum nullas retulit, præter unicam Siricii, quam non allegat simpliciter, sed cum hac additione & nota: *ex epistola Siricii in Concilio Cellensi*, & aliquando absolute: *ex Concilio Cellensi.* Forte ad consultationem Episcoporum Africæ, in Cellensi Concilio convocatorum, Siricius responderat, vel ad illud Concilium per Legatos Rom. Pontificum, qui Concilio aderant, epistola missa fuerat; quod novum non erat in Africa. In reliquis, ut diximus, antiquissimam versionem sequitur. Itaque nihil ex Ephesino & Chalcedonensi Concilio retulit; quia in antiquissimis Collectionibus Græcis & Latinis deerant: Sardicensis præterea Synodi Canones adhibuit; illos præsertim, de quibus recipiendis tamdiu certatum fuit in Africa inter Zozimum, Bonifacium, & Celestinum Pontifices Romanos, & Aurelium Carthaginensem, & reliquos Africanos: nec ideo tamen omissi fuerunt a Ferrando Antiocheni Canones, qui cum Sardicensibus manifeste pugnant, ut superius diximus; & de quibus in Africa certatum fuit tanta contentione.

Autoritas hujus collectionis non levis fuisse videtur, maxime in Africa, si officium, quo fungebatur Ferrandus, attendamus; Diaconi scilicet sub reve-

rendiss. Ecclesiæ Carthag. Episcopo: quod olim in Ecclesia erat hujusmodi, ut eorum opera uterentur Episcopi in responsis & epistolis, quæ ad consultationes Episcoporum scribi solebant, sive ad mores pertinerent, ut ex dicto loco Facundi Hermianensis colligitur, & ex epistolis & scriptis Ferrandi, quæ supersunt. Eandemque Collectionem Cresconius in *præfatione* Breviarii sui laudat. Quin tamen aliqui nævi in illa Ferrandi breviatione supersint, nemo inficiabitur, qui attentius inspexerit Ferrandum *numeris* 103. 105. 109. 110. 111. 112. 113. 114. 115. 185. 188. 216. & 221. Sed de his alius erit dicendi locus in editione nova Ferrandi. (*)

§. III.

De Collectione Canonum Dionysii Exigui.

Tertia Collectio est Dionysii Exigui, quam, ut ipse ait in *epistola ad Stephanum Episc. Salonitanum, confusione priscæ translationis incitatus digessit iterum,* &

(*) Testatur Jo. Doujatius *in præfat. edit. operum Florentis*, Autorem Africana Concilia, cum Ferrandi & Cresconii Breviariis Canonum, quos invicem contulerat ex manuscriptis, omniaque in meliorem ordinem restituerat, parata habuisse ad edendum, sed hunc thesaurum se nullibi reperire potuisse, atque adeo inedita hæc alicubi latere videntur. Interim alii una cum Codice Canon. Eccl. Africanæ tum Ferrandi, tum Cresconii Breviarium sæpius ediderunt P. Pithœus nempe, Chifletius, Altaserranus & novissime Christoph. Justellus & post eum filius Henricus *in Bibl. Jur. Can. Tom. I. p. 307. & p. 447. seqq.*

(†)

& de Græco transtulit. Floruit autem Justiniani temporibus, (†) ut colligitur, ex *ejusdem Epist. Paschalis ad Petronium Episc.* edita in *appendice operis de Doctrina temporum*, & ex *alia ejusdem* scripta *ad Julianum Presbyterum tituli sanctæ Anastasiæ*, quam initio Collectionis Decretalium Pont. Rom. præmiserat; eamque a doctiss. Sirmondo erutam ex MS. Codic. in fine hujus libelli subjiciemus; & ex Cassiodori *lib. divinarum lectionum cap. 23.* Constat autem Dionysii Collectio ex totidem Canonibus, quot in antiquissima Græcorum contineri diximus, id est, usque ad Constantinop. I. ex quo tres tantum Canones refert, sicut in Græca autoritate, ut loquitur Dionysius in *dicta epistola*, & deinde subjicit, *Tum sancti Chalcedonensis Concilii decreta subdentes, in his Græcorum Canonum finem esse declaramus.* Nec tamen quod animadversione dignum, mentionem ullam facit Concilii Ephesini œcumenici, licet ante Concilium Chalcedonense celebratum fuerit. Unde recte apud Juonem in *can. de libellis Dist. XX.* Ephesinum Concilium omittitur; quod in editione Rom. Gratiani male suppletur. Ex eadem causa gravior occurrit error in Moguntina & Parisiensi editione Codicis Eccl. Rom. in quibus pro Concilio œcumenico suppositum est Concilium Alexandrinum particulare ex Ægypti diœcesi tantum. Erroris causa

(†) De Dionysio Exiguo multa legi possunt ap. Petr. a Mastricht *in hist. Jur. Eccl. n. 73.* Conf. Justellum in præfat. ad ejus Collectionem, (*in Bibl. Jur. Can. vet. p. 97.*) S.

sa fuit, quia utrumque Concilium contra Nestorium habitum est, & utrique Cyrillus Alexandrinus præfuit, Alexandrino quidem Concilio, suo & proprio jure, id est Patriarchico; Ephesino autem nomine Celestini summi Pontif. cujus Legatus fuit in dicto Concilio. Subjicit postremo Dionysius statuta Sardicensis Concilii atque Africani, quæ Latine edita fuisse ait; quo refellitur error illorum, qui versa de Græcis existimant, ita ut Dionysii Codex, partim ex Græcorum, partim ex Occidentalium Conciliis compositus sit.

Methodum vero & artem eandem servavit in Canonibus Orientalibus, quam in antiquissima Græcorum Collectione reperit, scilicet seriem & consequentiam numerorum; deinde post Sardicense plura Consilia Africæ diversis habita temporibus, sub uno tamen & eodem Episcopo Carthaginensi Aurelio refert, sicut in antiquis Codicibus invenerat: de quorum autoritate & Collectione, an autoritate publica edita sit, vel confirmata; an vero privati alicujus Collectoris opera, fusius aliquando disputabimus.

Ne quid vero videretur Dionysius eorum omittere, quæ ad Ecclesiasticam disciplinam pertinent, post Conciliorum canones promulgatos, & eo, quo exposuimus, ordine dispositos, ad Pontif. Romanorum Constitutiones curam extendit, ut ipse profitetur in epistola MS. supra citata *ad Julianum Presbyterum tituli sanctæ Anastasiæ*, in qua istius secundæ Collectionis rationem & consilium exponit his verbis; *Præteritorum Sedis Apostolicæ Præsulum consti-*

stituta, qua valui, cura diligentiaque collegi, & in quendam redigens ordinem, titulis distinxi compositis; ita duntaxat ut singulorum Pontif. quotquot a me praecepta reperta sunt, sub una serie numerorum terminarem, omnesque titulos huic praefationi subnecterem, eo modo, quo dudum de Graeco sermone Patrum canones transferens ordinaram. Quae verba ideo descripsi, quia brevius & dilucidius autoris consilium explicari non potuit. Nec omittendum, Dionysium hunc laborem suscepisse primum: antiquiores enim Collectores Decretales Pontificum, ut diximus, omiserant, Conciliorum canonibus contenti. Incepit autem a Siricio Pontifice, & non in Hormisda, sed in Gelasio desinit, vel potius in Anastasio II. qui successit Gelasio, si qua fides indici Pontificum: reliquis Pontificibus, qui praecesserunt Siricium, omissis. Unde quod de Sylvestri decretalibus in *dicto can. de libellis*, dicitur, valde suspectum est,(*) ut Hincmarus ostendit *epistola 7. cap. 22. 23. & sequentibus* pag. 145. 146. 147. & seq. & *in opere 55. Capitulorum, Capitulo 24.* pag. 118. & *cap. 43.* pag. 145. 146. & 4. seq. editionis in 4. Siricium I. nominat, non Sylvestrum, sicut & Cresconius in indice nullas Sylvestri epistolas allegat. Hormisdae vero, Gregorii junioris, & reliquorum, epistolae additae sunt postea. Multis enim annis post Dionysium vixerunt.

(Notandum vero Codicem hunc Canonum & regulam Pastoralem Gregorii, Episcopis in ipsa ordinatione tradi in manus a Metropolitano in more posi-

(*) V. infra §. VI. voc. Eundem.

(*)

situm. Hincmarus *præfatione in opus 55. Capitulorum* pag. 4. & 5. ubi de Consecratione Hincmari Laudunensis.)

Postremo Collectionis Dionysii summa fuit autoritas; adeo ut Cassiodorus ejus æqualis, eique superstes in *dicto lib. de divinis lectionibus*, dicat usu celeberrimo Ecclesiam Romanam eam fuisse complexam; cujus etiam ut passim receptæ indicem fecit Cresconius: & absolute corpus Canonum appellari meruit in *can. 1. Dist. XIX.* eoque titulo *) citatur a posterioribus Collectoribus, Burchardo, Juone, Gratiano, & in omnibus Decretalium Collectionibus, quod probaverunt Correctores Romani in *præfatione Gratiani.* In Galliis vero notior esse cœpit tempore Caroli Magni; quamvis non ante fuerit omnino ignota; (v. Sirmondus in *præfatione* Conciliorum) cui Carolo ab Hadriano Pontifice oblata fuit, ut constat ex versibus politicis ab Hadriano præfixis, quos jam dudum quidem laudaverat P. Pithœus *præfatione in Ferrandum*; nuper vero edidit in 2. *tomo* Conciliorum Galliæ doctissimus Sirmondus; (†) ex quo tempore frequentissimus fuit usus illius Collectionis in Conciliis & Scriptoribus Gallicanis.

§. IV.

(*) Addendus Antonius Augustinus in *libello posthumo de Collectoribus Canonum cap. 21.* Falsa tamen est inscriptio *cap. 2. de præb.* ubi & deceptus est Cujacius.

(†) Leguntur etiam *in Biblioth. Jur. Can. veter. Justelli, post titulum Codicis Canon. Dion. Exigui ante pag. 97.* & apud Petr. de Mastricht *in hist. Jur. Eccl. n. 78.* S.

(*)

§. IV.

De Cresconii Breviatione Canonum.

Notandum, quod jam monuimus, Cresconium circa eadem fere tempora accuratam methodum totius Collectionis Dionysii contexuisse, (*) imitatum Fulgentium Ferrandum, quem & laudat, & sequitur autorem, sicut ipse profitetur in *sua præfatione*. Opus vero suum ita inscripsit : *hic habetur Concordia Canonum Conciliorum infra scriptorum*, & *Præsulum Rom. id est Canonum Apostolorum*, & deinde refert Concilia ex quibus canones sumpsit eodem plane ordine, quo habentur integri apud eundem Dionysium ; & postea Præsulum Rom. nomina subjicit Siricii, Innocentii I. Zozimi, Celestini, Leonis & Gelasii.

Diximus Cresconium imitatum fuisse Ferrandum in Breviatione sua Canonum. Nam paulo ante Cresconium aliam Breviationem Canonum confecerat Ferrandus ; ad quam conficiendam usus fuerat antiquissima versione Canonum Orientalium, quæ ante Dionysii Exigui versionem tam in Ecclesiis Occidentalibus, quam Africanis recepta fuerat & adhuc post Dionysium remansit. Addidit etiam Ferrandus ex pluribus Concil. Africanis excerpta quædam, quorum multa injuria temporum exciderunt.

§. V.

(*) Confer Petr. de Mastricht *hist. Jur. Eccl. n. 181. seqq.* Edidit Cresconii s. Crisconii Breviarium post alios multos, de quibus supra ad fin. §. II. dictum, Justellus *in Biblioth. Jur. Can. T. 1. p. 456.* Collectionem vero Canonum hujus Crisconii idem primus edidit *in Append. Tom. I Bibl. Jur. Can. p. 33. S.*

(†)

§. V.

De Martini Bracarensis Collectione.

Dionysii & ejus indici a Cresconio confecto recte subjiciemus ordine temporum servato, Martini Bracarensis Episcopi, quæ vocat capitula Orientalium Canonum; (†) eos Canones intelligens tantum, qui in antiquissima Collectione Græcorum, de qua diximus, continentur. Nihil enim nequidem ex Concilio Constantinop. I. desumpsit, nec ex reliquorum Conciliorum Canonibus & summorum Pontificum decretis, quæ Dionysius Exiguus suæ Collectioni addiderat. Quæ Collectio ideo in Hispaniam non pervenisse videtur. Martinus enim post Dionysium vixit & scripsit. Scripsit enim circa annum Christi 570. Græcus origine, & ex Abbate Dumiensi factus Metropolitanus Bracarensis. Diversa autem methodo usus est a reliquis: non enim integra verba Canonum, sed vel breviata, vel interpolata refert; non adscripto unde, nec ex quo Concilio desumpta sunt. In duas vero partes opus distinguit: nam quæ ad Episcopos & universum Clerum pertinent in prima parte simul; in secunda vero quæ ad Laicos, conscripsit. Quin & ex Conciliis Hispaniæ adjecit quædam, etiam contra mentem veterum Canonum. Autoritatis vero non levis fuisse videtur: nam totius Galleciæ primus fu-

(†) Conferendus hic omnino Petr. de Mastricht *in hist. Jur. Eccl. n.* 171 *seqq.* Editiones hujus Collectionis refert Justellus *in præf. Bibl. Jur. Canon*, qui & ipse illam Bibliothecæ suæ inseruit, opera collationeque Jo Doujatii, Tolosani, Antecessoris Parif. & sacr. Can. Prof. multum emendatiorem. S.

fuit Metropolitanus, & in Concilio Lucensi comprobata fuisse videtur illa breviato ad quod ab autore missa fuerat. (De Martino Dumiensi videndus Fortunatus scribens ad eum *lib. 5. Epist. 1.* & ibi notata ex Isidoro & Gregorio Turonensi, quibus æqualis fuit. Legenda & quæ de eo refert Antonius Augustinus initio 2. *partis Epitomes Juris Canonici*, & maxime *lib. 1. dialog. de Emendatione Graciani Dialogis 10. 11. & 12.* quibus addi possunt Sirmondi fragmenta & aliquot ejusdem Fortunati carmina.) Gratianus autem plurima ex eo retulit in decreto, sub nomine Martini Papæ in Concilio, quasi fuerit Pontifex Romanus: graviorem etiam errorem in eo admisit, quod sæpe integros Canones inserat, & deinde sive imperitia, sive incogitantia eorundem Canonum tanquam diversorum, excerpta ex Martino referat, quod adnotaverunt Antonius Augustinus Juris Canonici peritissimus, & Correctores Romani.

§. VI.

De Collectione Isidori.

Martinum Bracarensem excipit Isidorus, vel quisquis est author Collectionis Canonum, quæ nomen illius præfert, sed falso. Quid illa contineatur, & qua arte seu methodo usus fuerit author in præfatione & in indice quem subjecit, aperte satis declarat. In illa vero Collectione tria sunt observanda.

1. Ejus autorem antiquissimam interpretationem Canonum Orientalium nobis conservavisse; quæ in pluribus locis difficilibus usui esse potest.

2. Concilia quædam Galliæ & Hispaniæ, quæ in reliquis Collectionibus non habebentur, inseruisse.

3.

3. Eundem primum in Occidentem invexisse veterum Pontificum Romanorum Epistolas quasdam, ignotas antea, & fidei suspectæ; a Clemente nempe I. usque ad Syricium sub Theodosio Magno. Quam novitatem impugnavit acerrime Canonum & Conciliorum peritissimus Hincmarus Remensis Archiepiscopus, quoties novæ illæ Epistolæ adversus antiquam Ecclesiæ disciplinam, vel Episcoporum aut Metropolitanorum autoritatem ab illis allegabantur, qui Ecclesiæ Romanæ immensam & infinitam potestatem primum in Gallia astruere moliebantur. De ea vero juvabit quædam loca annotare ex eodem Hincmaro; primo quidem in *opere 50. Capitulorum cap. 24.* pag. 118. ait: *Plena est terra ista de libre Collectarum Epistolarum ab Isidoro, quem de Hispania allatum Riculphus Moguntinus Episcopus in hujusmodi sicut & in Capitulis Regiis studiosus obtinuit, & istas regiones ex illa repleri fecit.* Postea de hujusmodi Epistolarum autoritate loquens, sententiam Papæ Gelasii, quam ipse Isidorus suæ præfationi indiderat, proponit; cujus Gelasii verba extant in *canone 5.* §. *item Decretales Dist. XIII. Item Decretales Epistolas quas Beatissimi Papæ diversis temporibus ab urbe Roma pro diversorum Patrum Consultatione dederant, venerabiliter suscipiendas.* Quæ Hincmarus in *capitulo 25.* ita exponit: *Animadvertenda igitur est discretio ex verbis B. Gelasii inter Synodalia Concilia, & Apostolicorum virorum Epistolas, quæ ante Concilia celebrata diversis temporibus pro diversorum Patrum consultatione dederunt* (male fere semper apud Hincmarum *consolatione* pro *consultatione.*)

Et

Et post pauca: *quantum enim differt inter illa*, scilicet Concilia, *quæ custodienda & recipienda decrevit, & inconvulsa firmaque deinceps Patres Catholici manere voluerunt, & illas Epistolas, quæ diversis temporibus pro diversorum consultatione datæ fuerunt*, nemo *in dogmatibus Ecclesiasticis exercitatus ignorat.* Quod argumentum plenissime exequitur *cap. 43.* cujus hæc est sententia: *Canones Conciliorum primum inviolatos debere permanere, utpote communi consensu & consuetudine* Ecclesi*arum receptos. Secundo loco Decretalia constituta S. Pontificum, quorum decreta Ecclesia Catholica & Patres ac Prædecessores nostri servanda tenuerunt & venerati sunt.* Quibus verbis intelligit illa tantum decreta Pontificum, quæ in Codice Canonum Ecclesiæ contineri diximus; eorum scilicet Pontificum, qui post Nicænum Concilium a Syricio usque ad Gelasium in dicto Codice inserta fuisse diximus. *Antiquiorum vero Pontificum Epistolas*, de quibus loquuti sumus, nempe a Clemente I. usque ad Syricium exclusive, *esse quidem venerandas; sed in illis judicio & delectu opus esse: quasdam enim ex illis invicem pugnare, & etiam adversari sæpe canonibus postea receptis.* Quibus casibus recte arbitratur *præferendos Canones ab omnibus Ecclesiis receptos, & probatos, nec prætextu hujusmodi Epistolarum ab Ecclesiastico usu illa, quæ generaliter tenebantur, esse removenda.* Idem Hincmarus *Epistola 7. cap. 22. 23. & 24.* acta & gesta Synodi Romanæ sub Sylvestro spuria & supposititia notat, ut & *tomo 2.* ult. editionis pag. 795. quæ tamen dictum Isidorum collegisse constat una cum suspectis

T E-

Epistolis Pontificum a D. Clemente usque ad Siricium.

Frequentissima autem fuit postremis temporibus; & prodiisse videtur ætate Caroli Magni, ut observavit primus doctissimus Pithœus in *Glossario Capitularium in dictione Riculphus;* quod & confirmatur *præfatione & fine lib. 5. Capitularium.* Ubi Benedictus Levita profitetur ipse, se in Capitularibus ex ea collectione multa inseruisse; quod etiam testatur incertus Scriptor de vita Benedicti, quem initio Capitularium Pithœus præmisit. Ex quo factum est, ut in Conciliis Galliæ, quæ Caroli temporibus, & postea in Gallia vel alibi sunt habita, itemque apud Scriptores illorum temporum sæpius ex illo Codice plurima desumantur: quorum exemplum Burchardus, Juo, Gratianus, & recentiores omnes passim secuti sunt, quamvis, ut monuimus multa commentitia sint, & magno cum judicio legenda. Sed de Isidoro Antonius Augustinus *libro posthumo de Collectoribus Can. cap. 16. 17. & 18.* & alii plus satis. (†) Addendum tamen ex ejusdem *libelli cap. 22. & seqq.* & ex *Dialogo 14. lib. posterioris de emendatione Gratiani,* Antonium Augustinum merito bona fide agnoscere ante Caroli Magni tempora nullos Scriptores suppostitiarum illarum Epistolarum meminisse. Videndæ & ejusdem Augustini notæ *in capitula* Hadriani Papæ ad Episcopos missa.

§. VII.

(†) Imprimis Blondellus doctissimo tractatu, cui *Pseudisidori* titulum fecit. Conferendus etiam pluribus Petr. a Mastricht *in hist. Jur. Eccl. n. 220. seqq.* S.

(†)

§. VII.

De Collectionibus Conciliorum Galliæ, & Capitularium.

Non immerito inter Collectiones Canonum, Regum nostrorum Capitularia recensebimus; quia in illis multa referuntur ex antiquis Conciliis in Oriente & in Occidente habitis: potissimum vero ex Conciliis Gallicanis, quibus tunc temporis Germania & Italia universa continebatur. Quin etiam adhibebantur in Concilium Episcopi una cum Regni Proceribus in Conventibus publicis, qui a Regibus nostris indicebantur, in quibus confirmabantur; res ad Ecclesiasticam politiam spectantes ordinabantur, & ad omnium utilitatem capitula, seu leges promulgabantur, omnium Ordinum consensu. Quare Collectores recentiores inde multa derivaverunt; aliquando suppresso, vel supposito nomine. Tantæ vero fuerunt autoritatis, non solum in Gallia, sed etiam in Italia, ut a summis Pontificibus probarentur & observarentur, *can. de Capitulis Dist. X.* Plura de Capitularium autoritate, & methodo, quæ est confusissima, doctissimus Pithœus accuratissime initio Capitularium in unum congessit; quibus addere licet quæ in postrema editione (†) Capitularium Caroli Calui doctissimus Sirmondus adjecit: integriora enim longe sunt Capitularia Caroli Calui.

Capitularibus Regum nostrorum varias Conciliorum Galliæ Collectiones licet adjungere. Gallicani enim Canones & eorum autoritas non tantum in Gal-

(†) Novissima hodie editio est Stephani Baluzii, S.

Gallia, sed etiam in Germania, & in Italia, primis Regum nostrorum temporibus obtinuerunt, quorum Collectiones antiquissimæ fuerunt, ad quas pertinet *can. Prima adnotatio Dist. XVI.* qui alieno loco collocatur in Collectione, quæ vulgo Isidori dicitur. Nec tamen constat, an publica autoritate Collectio aliqua apud omnes Ecclesias Galliæ recepta fuerit. (*)

§. VIII.

De Collectionibus Burchardi Wormatiensis & Juonis Carnotensis.

Inter postremos Collectores, qui nunc extant, (multi enim alii Collectores in Manuscriptis Codicibus reperiuntur, sicut Correctores Romani in *Præfatione* Gratiani docuerunt, Anselmus, Deus dedit, Polycarpus (†) & alii,) Burchardum Wormaciensem, & Juonem Carnotensem recensebimus: (††) quorum Collectiones ex suspectis illis primorum Pontif. Rom. epistolis, de quibus diximus, plurimum auctæ sunt & amplificatæ. Quin etiam accesserunt plurima ex dictis Patrum, ut loquuntur, præsertim Augustini, Hieronymi, Gregorii & Isidori: quod ex omnibus Col-

(*) De Codicibus Canonum Ecclesiæ Gallicanæ quædam habet Christ. Justellus *in præf. ad Cod. Can. Eccl. univ. p.* 21. *seqq.* (*edit. Biblioth. Jur. Can.*) & ex eo Petr a Mastricht *in hist. Jur. Eccl. n.* 80. *seq. S.*

(†) Agit de illis Petr. a Mastricht *in hist. Jur. Eccl. n.* 260. *seqq. n.* 273. 274.

(††) De his etiam adi Petr. a Mastricht *in hist. Jur. Eccl. n.* 248 *seqq. & n.* 263. *seqq. S.*

(*)

Collectoribus primi videntur tentasse Burchardus & Juo, exemplo petito a Gallicanis Conciliis & Scriptoribus Ecclesiasticis, in quibus post Conciliorum Canones in litibus judicandis scripta Patrum tertium locum obtinent, ut constat ex *dicto can. de libellis Dist. XX.* qui ad Episcopos Galliæ pertinet, sicut & in Jure Civili prudentum opiniones & sententiæ eam autoritatem tenent, ut judicibus ab iis recedere facile non liceat §. *penult. Institutionibus de jure naturali, gentium & civili.* Postremo in Juonis Collectione edita ante Juris civilis publicationem in Italia Lotharii II. jussu, ex Pandectis, Codice & Novellis excerpta plurima desumuntur; ita ut quod in Oriente sub Justiniano Joannes Patriarcha tentavit primus, ut diximus, in Occidente Juo Carnotensis Episcopus aggressus fuerit; nempe ut Jus Civile cum Canonico conjungeretur. Ab his initiis Jure Civili postea in Italia promulgato, qui Juri Canonico dederunt operam, statim adjecerunt animum ad Jus illud novissime promulgatum; adeo ut Bernardus, qui circa illa tempora vixit, asperrime nimium illud studium in Rom. Curia increpet *primo de consideratione ad Eugenium, cap. 30. Denique quando oramus, quando docemus populos, quando ædificamus Ecclesiam, quando meditamur in lege, & quidem quotidie, perstrepunt in palatio leges, sed Justiniani non Domini.*

§. IX.

De Collectione Gratiani.

Sub illa tempora Gratianus vixit, (*) scilicet circa an-

(*) De Gratiano ejusque Collectione pluribus egit Au-

annum Christi 1152. qui ex omnibus illis antiquorum Collectionibus, quas hóc tractatu enumeravimus; & ex aliis, quæ non extant, Corpus Decretorum, vel, ut ipse inscripsisse videtur, Concordiam discordantium Canonum compilavit, nec ullas Pontificum post Innocentium II. Constitutiones inseruit. Methodum & ordinem ipse exposuit, qui tamen ab omnibus non probatur. Autoritas vero Gratiani maxima fuisse videtur: nam spretis omnibus, elegerunt illum Interpretes Juris Canonici, quem exponerent; ita ut ante Innocentium III. & postea Corpus Canonum & Corpus decretorum appellaretur, ut ex *epistola* Innocentii III. *ad Compostellanum Episcopum* colligitur, quæ pertinet ad Gratiani decretum, non autem ad Dionysium Exiguum, ut male Justellus in *præfatione* Codicis Ecclesiæ universæ.

Postremo de Gratiani Collectionis arte & autoritate exactissimum & verissimum judicium Antonii Augustini ascribemus, ex *epistola* quam Canonibus Pœnitentialibus præfixit. *Est etiam delectus habendus & ratio autoritatis constituentium; in quo video multos juris Pontificii studiosos vehementer decipi, qui Gratiani Collectionem parem vim cum Gregoriano habere putant: cum tamen Gregorius IX. Pontificia autoritate usus, omnibus in eo volumine Decretalium contentis vim legis statuerit; Gratianus unius Magistri & Monachi personam gerens ea, quæ refert, non*

Autor, peculiari dissertatione, quam huic præsenti subnectemus. S.

non majori pollere potuit efficere autoritate, quam antea fuerint. Itaque si qua sunt ab eodem relata ex Pontificiis epistolis, aut ex Conciliis generalibus sumpta; ea suprema illa potestate, qua excellunt, apud omnes vim legis obtinent. At quæ ex Provincialibus Conciliis, aut ex Episcoporum, aut aliorum Sanctorum libris, aut Epistolis accepta sunt, ea generalem non habent autoritatem. Accidit autem sæpe ut falsæ sint apud Gratianum inscriptiones singulorum capitum. Ita fit, ut ne illa quidem capita vim legis obtineant, quæ dicuntur esse sumpta ex Romanorum Pontificum, aut ex generalium Conciliorum decretis: sed necesse est adire fontes, unde emanarunt, ut certa ab incertis distinguamus. Hactenus doctissimus Augustinus, qui postea sigillatim in dialogis eruditissimis, de Gratiano, demonstravit apertissime, quæ generaliter & paucis, loco citato, ante comprehenderat. In eamdem rem similis observanda vetus quædam censura Parisiensis Episcopi, adhibito totius Sorbonæ consilio, prolata in condemnatione positionis, sive Thesis cujusdam Dominicani, qui posuerat, *nihil reperiri apud D. Thomam, quod non esset credendum:* quæ quidem Thesis est damnata, & doctissima dissertatione damnatio confirmata, eaque extat in fine Librorum Magistri Sententiarum; cujus dissertationis hæc est Summa: nec Magistri Sententiarum, nec Gratiani, nec S. Thomæ, imo nec ullius cujuslibet alterius Doctoris adeo per omnia veram esse sententiam, quin & errare, & labi quandoque possit.

§. X.

De Decretalium Collectione Gregorii IX. Pontif.

Post Gratianum variæ Collectiones Decretalium promulgatæ sunt: sola tamen Gregorii IX. (†) in scholis prælegitur, de qua ita ipse Gregorius loquitur in præfatione. *Sane diversas Constitutiones & Decretales epistolas Prædecessorum nostrorum in diversa dispersas volumina* (scilicet collegimus,) *quarum aliquæ propter nimiam similitudinem, & quædam propter contrarietatem; etiam propter sui prolixitatem, confusionem inducere videbantur; aliquæ vero vagabantur extra volumina supra dicta.* Quo loco per *diversa volumina* intelligit quinque antiquas Collectiones, quæ præcesserant: quarum duæ priores privata opera & studio collectæ sunt: ideoque non aliter in judiciis fides illis habebatur, quam si a scrinariis Ecclesiæ Romanæ recognitæ & comprobatæ forent: (ut constat ex Tancredi *fragmento*, edito a doctissimo Bosqueto in *notis ad epist. 71. lib. 13. Registri* Innocentii III. & ex *cap. 40. Extra de sent. excom.* ibi: *quam Scholastici ab Alexandro Papa emanasse proponunt.* Quo loco intelligitur *cap. 2. Collectionis 1. tit. de offic. & potestate Prælati & Jud. Ordin.*) Tertia vero primum autoritate publica, id est, jussu Innocentii III. promulgata est & confirmata, ut constat ex *epistola prima* Innocentii III. initio Collectionis tertiæ: (& a Glossa in *cap. 18. de Præbendis* in verbo *confirmationem*, & in verbo *Ecclesiam*, ap-

(†) De hac consule iterum Petr. a Mastricht *in hist.* Jur. Eccl. n. 353. seqq. S. (†)

appellatur absolute Compilatio Innocentii: & ex ea citatur utroque loco *cap. 1. de re Judicata*, quod & eodem ordine in *3. Collectione* reperitur.) Quarta etiam post aliquot annos ab eodem Innocentio III. composita; sicut & quinta ab Honorio III. nondum edita: (†) (ex qua tamen quædam a Contio excerpta fuerunt, in editione Plantini, quæ falso Parisinæ nomen habet expressum in Decretalibus; quamvis Antverpiæ sit edita: quam & Panormitanus vidit, & Dominus Cujacius, ut probant notata ab eo ad *cap. 63. de appellat. & ad tit. de frigidis & malefic. in fine.*) Tres autem istæ postremæ, quæ publicæ fuerunt, solius Innocentii & Honorii Constitutiones habent. Postremo Gregorius IX. ut diximus, quæ prælegitur hodie, plenissimam Collectionem Decretalium confici mandavit ex illis antiquis Collectionibus, & ex aliis Constitutionibus, quæ extra illas vagabantur, (quarum exempla refert Glossa in *præfationem* Decretalium in verbo *vagabantur*,) quibus addidit suas, proprio motu, & nullo petente editas. De qua Collectione ita Matthæus Paris in Henrico III. *His quoque temporibus*, inquit, *Gregorius IX. videns tadiosam Decretalium prolixitatem, sub quodam compendio eas elegante abbreviatas & collectas, solemniter & authentice per totius mundi latitudinem legi præcepit & promulgari. Illas autem ab Autore ipsarum Gregorianas appellamus, sic incipientes*, Rex pacificus, &c. *In quibus quædam innovavit, ne scilicet illegitimi Prælatias vel Ecclesiastica beneficia, nisi adepta a Sede Romana legitimationis dispensatio-*

(†) Nuper Tolosæ edita est ab Innoc. Cironio.

ne, obtineant: sciens inde Curiæ Romana pro impetratione tali multa emolumenta provenire; sicut ex Statuto Innocentii pro dispensatione plurium beneficiorum obtinendorum. Gregorii exemplum secuti sunt Bonifacius in sexto, Clemens in Clementinis, Joannes in Extravagantibus, & postremo autor Collectionis extravagantium communium. Quas omnes Collectiones veteres & novas extravagantium communi & generali nomine vocare possumus; quia scilicet extra Decretum Gratiani vagantur, cujus appendix & continuatio possunt dici; (Cujacius ad *cap. 4. de sponsal. & matrim.*) Ideoque recte Bernardus Papiensis autor primæ Collectionis *Breviarium Extravagantium* opus suum inscripsit, quasi ex veteri & novo jure, quæ a Gratiano omissa fuerant, suppleret, ut constat ex *præfatione Collectionis primæ* ejusdem Bernardi, qui sæpe ad Gratianum nos remittit: unde factum est, ut passim citentur *Extra;* integro nomine, extravagantes.

De autoritate Decretalium Gregorii IX. & reliquorum satis constat eam esse publicam ex confirmationibus, quæ singulis præfixæ sunt. Hoc tantum notandum propter graves inimicitias inter Bonifacium VIII. & Regem nostrum Philippum, Sextum Decretalium, qui Bonifacii autoritate editus est, in judiciis apud nos eandem non obtinere vim & potestatem, ac reliquas Collectiones. Et generaliter tam in studiis Juris Canonici, quam Civilis observare debemus, quod Philippus Pulcher præcepit in literis quibusdam MS. quibus multa privilegia concessit Universitati Aurelianensi, anno Christi millesimo trecen-

te-

tesimo duodecimo. *Non putet igitur aliquis nos recipere, vel Progenitores nostros recepisse Consuetudines quaslibet, sive leges, ex eo quod eas in diversis locis & studiis Regni nostri per scholasticos legi sinantur. Multa namque eruditioni & doctrinæ proficiunt, licet recepta non fuerint: nec Ecclesia recipit quam plures Canones, qui per desuetudinem abierunt, vel ab initio non fuere recepti; licet in scholis a Studiosis propter eruditionem legantur. Scire namque sensus, ritus & mores hominum diversorum, locorum & temporum valde proficit ad cujuscunque doctrinam.*

Addenda ad §. III. Part. II. bujus Differtationis.

Συναγωγὴ Κανόνων εἰς ν΄. Τίτλους διηρημένων παρὰ Θεοδορίτου Ἐπισκόπου τοῦ Κύῤῥου.

Οἱ τοῦ μεγάλου Θεοῦ καὶ σωτῆρος ὑμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ μαθηταὶ καὶ ἀπόστολοι, καὶ μὴν καὶ τῆς Ἐκκλησίας αὐτοῦ τῆς ἁγίας οἱ μετ᾽ ἐκείνους καὶ κατ᾽ ἐκείνους ἀρχιερεῖς καὶ διδάσκαλοι, τὴν ἐξ ἐθνῶν ἅμα καὶ Ἰουδαίων πληθὺν, τῆς διαβολικῆς ἀπάτης καὶ τυραννίδος ἀποφοιτήσασαν ὀρθῇ τε διανόιᾳ καὶ πίστει πρὸς τὸν βασιλέα καὶ Κύριον τῆς δόξης αὐτομολήσασαν, ὁσίως ποιμαίνειν ἐγχειρισθέντες ὑπὸ τῆς χάριτος. Οὐκ ᾤοντο δεῖν ὥσπερ οἱ Πολιτικοὶ νόμοι τοὺς πλημμελοῦντας αἰκίζεσθαι, τοῦτο γαρ εὔηθες αὐτοῖς κομιδῇ καὶ λίαν ἀτημελὲς κατεφαίνετο, προκινδυνεύειν δὲ μᾶλλον αὐτῶν ἑτοιμότατα, καὶ τοὺς ἀνόπιν ἰόντας ἐπιστρέφειν ἐσπούδαζον, ἐπὶ τοὺς πλανομένους ἔτι καὶ τῆς

τῆς εὐθείας ἐκκλίνοντας ὡς ποιμὴν ὁ καλὸς ἀμελλητὶ καταθεόντες, τοὺς δὲ πρηνεῖς ἤδη κατενεχθέντας ἐπὶ τὸν βάραθρον ἀνασπᾶσαι παντοίαις ἐπινοίαις ἀγωνιζόμενοι. καὶ τὸν μὲν ἤδη (*) σεσηπὼς καὶ λίαν ἠῤῥωστηκῶς, τῇ μαχαίρᾳ τοῦ πνεύματος εὖ μάλα (**) σαφῶς καὶ τεχνικῶς ἀποτέμνοντες. τόδε σύντριβὲν ἐξ αὐτῶν καὶ λυόμενον φαρμακοῖς τισὶν ἁπαλοῖς καὶ δεσμοῖς λογικοῖς ἐπισφίγγοντες, οὕτω τῇ χάριτι καὶ συνεργείᾳ τοῦ πνεύματος ἐπὶ τὴν πρώτην ὑγίειαν ἐπανήγαγον τοὺς κάμνοντας. ἵνα τοίνυν αὖθις οἱ μετ᾽ ἐκείνους ἐσόμενοι τοὺς ὑπ᾽ αὐτῶν ἀρχομένους ἀβλαβεῖς διασώζωσι, τούτων ἕκαστοι κατὰ καιροὺς ἰδίους εἰς ταυτὸν συνιόντες οἱ τρισμακάριοι, τῆς θείας χάριτος οἴκον μούσης τοῦτο καὶ συναθροιζούσης ἑκάστης αὐτῶν Συνόδου τὸν σύλλογον, νόμους τινὰς καὶ Κανόνας οὐ πολιτικοὺς, ἀλλὰ θείους περὶ τῶν πράξεων ἐξέθεντο, τὸν ἑκάστου βίον καὶ τρόπον ἐπανορθούμενοι, τοὺς μὲν ὁδῷ βασιλικῇ πορευομένους ὑποστηρίζοντες, ἐπιτιμοῦντες δὲ αὐτοὺς πλάγια φερομένους. Ἐπεὶ οὖν πάλαι κατὰ καιροὺς ὑπὸ διαφόρων πρὸς διαφόρους καὶ διαφόροις ἁρμόζοντες οἱ νόμοι καὶ Κανόνες τῆς Ἐκκλησίας ἐτέθησαν. δέκα γὰρ μετὰ τοὺς ἀποστόλους αἱ μεγάλαι τῶν πατέρων γεγόνασι σύνοδοι· πρὸς τούτους δὲ αὖ Βασίλειος ὁ μὲν περὶ πολλῶν ἐκανόνιζεν. Εἰκότως καὶ διὰ τοῦτο σποράδην ὑπ᾽ αὐτῶν ὡς ἀπῄτει τὰ κατὰ χρόνον ἀναφυόμενα, καὶ οὐ τάξει τινὶ πραγμάτων, ὡς ἐν κεφαλαίοις διῃρημένοι οἱ Κανόνες ἐγράφησαν, ὡς ἐκ τού-

(*) Καὶ τὸ μὲν ἤδη σεσηπὸς καὶ λίαν ἠῤῥωστηκός.

(**) σοφῶς.

τούτου δυσεύρετον εἶναι κομιδῇ καὶ δυσπόριστον τὸ πρός τινων ἀθρόως περὶ Κάνονες ἐπιζητούμενον. Διὰ τοῦτο χάριτι τοῦ Κυρίου καὶ Θεοῦ καὶ σωτῆρος ὑμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ τὰ σποράδην ὑπ' αὐτῶν ὁρισθέντα κατὰ καιροὺς, εἰς ἓν ἡμεῖς ἀθροῖσαι σπουδάσαντες καὶ ταῦτα διελόντες εἰς τίτλους πεντήκοντα οὐ τάξιν τινὰ καὶ ἀκολουθίαν ἀριθμῶν ἐφυλάξαμεν, πρῶτον ὡς εἰπεῖν καὶ δεύτερον, καὶ τρίτον, καὶ τέταρτον, καὶ πέμπτον αὖθις Κανόνας συνάψαντες, ἀλλ' ὅμοια τοῖς ὁμοίοις ὡς οἷόν τε συναρμόσαντες καὶ ἴσον ἴσῳ κεφαλαίῳ συμπλέξαντες, ῥᾳδίαν ἐποιήσαμεν ἅμα καὶ ἄπονον τοῖς πᾶσιν ὡς οἶμαι τῶν ζητουμένων εὕρεσιν οὐκ αὐτοὶ τοῦτο μόνον καὶ πρῶτοι τῶν ἄλλων ποιῆσαι ὁρμήσαντες, ἀλλ' ἑτέρους εὑρόντες ταῦτα διέλοντας εἰς τίτλους ἑξήκοντα, καὶ μήτε τοὺς Βασιλείου Κανόνας τοῖς ἄλλοις ἐπισυνάψαντας, μήτε καὶ ὅμοια τοῖς ὁμοίοις ὡς ἔδει πράγματα συναρμόσαντας, ὡς ἐν τίτλοις διὰ τὸ πολλοὺς περὶ ἑνὸς κεφαλαίου Κανόνας εὑρίσκεσθαι, καὶ δυσάλωτα γίνεσθαι τὰ περὶ τοῦ πράγματος ἑνὸς παρὰ τῶν ὅλων κανονιζόμενα σαφεστέραν, ὡς οἷόν τε τὴν ὑμεῖς τῇ παραθέσει τῶν ὁμοίων ποιῆσαι τῶν Κανόνων τὴν διαίρεσιν ἐσπουδάσαμεν. Τῆς ἑκάστου πρὸς τούτοις τῶν τίτλων ἐπιγραφῆς προσημαινούσης εὖ μάλα τῶν ἐμφερομένων τὴν δύναμιν. ἡ δὲ τάξις αὕτη τῶν συνόδων μετὰ τοὺς ἀποστόλους, καὶ πόσους ἑκάστη Κανόνας ἐξέθετο, πόσους δὲ καὶ Βασίλειος ὁ θαυμαστὸς συνεγράψατο διὰ τῶν ὑποκειμένων ἀπονητὶ τοῖς ζητοῦσι γνωσθήσεται. ἔστι γὰρ οὐδὲ πως ἔχουσα καὶ οὐκ ἀσυμφωνῆς (*) ἀλλὰ καὶ λίαν εὐσύνοπτος τοῖς ἐντυγχάνειν ἐθέλουσιν.

La-

(*) ἀσύμφωνος.

Latine.

Collectio Canonum in quinquaginta titulos digestorum, per Theodoretum, Episcopum Cyrrhi.

MAgni Dei & Servatoris nostri Jesu Christi Discipuli & Apostoli, & etiam Ecclesiæ ejus sanctæ, qui cum illis & post illos fuerunt, Pontifices & Doctores; ex Gentibus simul & Judæis plebem a diabolica fraude & tyrannide refugientem, rectaque cogitatione & fide ad Regem & Dominum gloriæ transfugam, sancte pascere aggressi per gratiam; non putabant oportere, quemadmodum leges civiles sanciunt, noxios mutilare: hoc enim ineptum illis valde & admodum indecorum videbatur: periclitari vero potius pro illis promtissime & retrorsum euntes convertere studebant, adversus errantes insuper & a recta via devios ut pastor bonus protinus accurrentes, & præcipites jam ablatos in barathrum retrahere omnibus rationibus certantes, & quod jam putridum & valde vitiatum erat, gladio Spiritus, sapienter admodum & ex arte resecantes; quod autem collisum ex illis & dissolutum erat, remediis quibusdam mitibus & ligaturis ratiocinii adstringentes; sic gratia & cooperatione Spiritus ad pristinam sanitatem reducebant ægrotos. Ut igitur rursus qui post illos futuri sunt, eos qui ab ipsis initiati sunt, incolumes conservarent, horum singuli, per propria tempora in unum coeuntes beatissimi, divina hac gratia procurante, & congregante cujusque eorum Synodi collectionem, leges aliquas & canones non civiles sed divinos de agendis aut non agendis tradiderunt, unius-

cu-

cujusque vitam & mores corrigendo, via quidem regia euntes confirmando, & objurgando eos, qui aberrant ad obliqua. Quoniam igitur olim pro temporibus, a diversis ad diversos, & diversis convenientes leges & Canones Ecclesiæ sanciti sunt: decem enim post Apostolos magnæ Patrum fuerunt Synodi. Præterea Basilius Magnus de multis Canones fecit; idcirco, ut verisimile est, sparsim ab illis, ut postulabant ea quæ per tempus succrescunt, & non ordine quodam rerum, velut in capita distinctarum, Canones scripti sunt: ita ut ex hoc valde difficile sit invenire, & præstare, quod ab aliquibus confertim de Canone quæritur. Quamobrem gratia Domini & Dei & Servatoris nostri Jesu Christi sparsim ab illis definita variis temporibus in unum nos conferre studentes, & hæc dividentes in titulos quinquaginta, nullam seriem & consequentiam numerorum servavimus, primum, verbi gratia, & secundum & tertium & quartum & quintum deinceps Canones conjungendo, sed similia similibus, quantum fieri potuit, coaptando, & conforme conformi capiti complicando, facilem reddidimus & planam omnibus, ut puto, quærendi methodum, non ipsi hoc soli & primi inter cæteros facere aggressi, sed alios nacti, qui hæc diviserunt in titulos sexaginta, & qui neque Basilii Canones aliis conjunxerunt, neque etiam similes res similibus, quod oportebat, coaptaverunt, velut in titulos. Quod vero multi de uno capite canones inveniantur, & difficile sit reperire ea quæ de una re in omnibus Canonibus constituuntur: manifestiorem quoad fieri potuit nos appositione similium reddere canonum divisionem studuimus; singu-

lo-

lorum insuper titulorum inscriptione præ se ferente evidentissime eorum quæ continentur vim propriam. Ipso porro series Synodorum post Apostolos, & quot singulæ canones sanxerint, quotque divinus vir Basilius conscripserit, per ea quæ subsequuntur, nullo labore quærentibus patebit. Est enim directa & non obscura, sed potius perquam facilis intuitu nancisci volentibus.

Addend. ad §. III. Part. III. superioris dissertationis.

DOMINO VENERABILI MIHI JULIANO PRESBYTERO, TITULI SANCTÆ ANASTASIÆ, DIONYSIUS EXIGUUS.

SAnctitatis vestræ piis excitatus studiis, quibus nihil prorsus eorum, quæ ad Ecclesiasticam disciplinam pertinent, omittit inquirere, præteritorum Sedis Apostolicæ Præsulum constituta, quà valui cura diligentiaque collegi, & in quemdam redigens ordinem, titulis distinxi compositis: ita dumtaxat ut singulorum Pontificum quotquot a me præcepta reperta sunt, sub una numerorum serie terminarem, omnesque titulos huic præfationi subnecterem: eo modo, quo dudum de Græco sermone Patrum transferens Canones ordinaram, quod vobis nimium placuisse cognoveram. Qui vero sincerissimo affectu Deum diligitis, & idcirco famulos ejus laudanda sollicitudine continetis. Quis enim peregrinantium serviens Christo, vestro non fovetur ho-

hoſpitio? Juſtum credidi vobis in hac parte famulari, quatenus induſtriam veſtram, quam cœleſtibus impenditis regulis, & præſens imitetur ætas, & poſteritas (*) commiretur. Nam pro virtutis amore cuncta, quæ ſunt utilia, deſideratis agnoſcere; licet omnem venerandi Juris obſervantiam moribus impleatis. Quantique ſit apud Deum meriti beatus Papa Gelaſius, & nos qui eum præſentia corporali non vidimus, (**) per vos alumnos ejus facilius æſtimamus. Cujus eruditione formati gradum Presbyterii ſancta converſatione decoratis, ut in veſtrorum morum perſpicuo munere ejus quodammodo videatur actio perlucere. Quem, ſicuti veſtra relatione comperimus, in tantum bonæ voluntatis extitiſſe gratulamur, ut, annuente Domino, principatum in Eccleſia pro multorum ſalute ſuſcipiens, cum ſerviendo potius, quam dominando ſuſtolleret, vitæque caſtimoniam doctrinæ meritis ampliaret. Denique omne opus ejus aut oratio fuiſſe memoratur, aut lectio. Interdum quoque ſcribendi curam ſumebat, prout cauſa vel oratio popoſciſſet, ſervorumque Dei maxime conſortio atque ſocietate gaudebat. Quorum ſpirituali conlatione, tanto divini amoris ſtudio, tanta verbi Dei meditatione (†) fruebatur, ut huic etiam illud, quod Pſalmiſta cecinit, aptaretur: *Beatus homo, quem tu erudieris, Domine, & de lege tua docueris eum, ut mitiges eum a diebus malis.* Hujus enim ſæculi malos dies ita Domino mitigante atque gubernante tranſegit, ut

(*) Comitetur. (**) Unde usque ad Gelaſium incluſive inſeruit decreta Patrum.

(†) Fovebatur.

ut universas tentationes mira prudentia & longanimitate sufferret, delicias jejuniis sustineret, superbiam humilitate calcaret, tanta misericordia animi alacritate clarescceret, ut omnes fere pauperes satians, inops ipse moreretur. Profecto beatus hac inopia, per quam divinis semper laudibus inhærebat, sicut Propheta dicit ad Dominum, *Pauper & inops laudabunt nomen tuum.* Fuit enim vir ingenio luculentus, vita præcipuus, auctoritate reverendus. Et ideo tot virtutum ornatus insignibus, ad tam celsum officium non accessisset indignus; honorem summæ dignitatis nimis onus æstimans, parvamque negligentiam Pontificis ingens animarum discrimen esse contestans. Idcirco nullo se desidioso otio tradidit, nec luxurioso convivio effusoque servivit, & quibus rebus & animarum morbi nascuntur & corporum. Hic itaque Pater summi atque Pastoris imitator existens, egregius Præsul Sedis Apostolicæ fuit, qui divina præcepta fecit & docuit. Unde eum magnum inter sanctos esse confidimus, juxta promissionem Christi domini dicentis: *Qui fecerit & docuerit, maximus vocabitur in regno cœlorum.*

VI.

FRANCISCI FLORENTIS, ICTI, ANTECESSORIS PARISIENSIS,

DISSERTATIO

DE METHODO ET AUTORITATE COLLECTIONIS GRATIANI, ET RELIQUARUM COLLECTIONUM DECRETALIUM POST GRATIANUM.

§. I.

§. I.

Diversæ methodi tradendi Jus Canonicum. Autoris Institutum.

JUris Canonici summam quandam cognitionem habere desiderantibus nihil utilius visum est, quam generales Tractatus quosdam in Decretales tradere. Institutiones enim interpretari, a Lanceloto, Cucco Mediolanensi, Canisio, vel aliis, privato studio confectas, vel novas scribere, periculosum est: quia studiosorum aures ea tantum ab initio debent accipere, quæ certa sint, & autoritate publica confirmata; ut recte in *Confirmatione Institutionum.* Nam quæ privatim quilibet, quamvis doctus & ingeniosus scribit, in promtu est non admittere; nec in judiciis ullam vim & robur obtinent. Adde quod hujusmodi Institutionum Autores, aliam viam & methodum instituentes, quam Pontifices, & Juris Canonici Conditores, a lectione Decretalium, vel omnino avertunt, vel saltem ad eas legendas animos non præparant. In Paratitlis vel longioribus Tractatibus aliter eveniet: nam in his ordinem & methodum Decretalium sequimur; imo & Librorum, & Titulorum connexionem & seriem investigamus, Rubricas interpretamur, & quantum operis modus finit, origines Juris Canonici veteris & novi indicamus. Quin etiam, si quid usus Galliæ non admittat, ex Capitularibus, Pragmaticis, Concordatis, & Juribus, seu quas vulgo vocant, Libertatibus Eccle-

siæ Gallicanæ, vel etiam privilegiis (*) adnotamus. Qui enim hactenus Institutiones, aut Paratitla Juris Canonici scripserunt; vel Juris antiqui Canonici valde periti non fuerunt, vel locis & temporibus inservierunt, in quibus libros suos promulgarunt, insuper habitis & neglectis, tam communis veteris, quam Gallicanæ Ecclesiæ Juribus, vel privilegiis; quæ recte Gallicanorum Tribunalium Consultissimi quique ab antiquo Jure communi universæ Ecclesiæ fere omnia repetita esse verissime contendunt. Reliqui fere omnes populi, qui in Patria obedientiæ, quam vocant, morantur, immutationes & innovationes posteriorum Constitutionum, quæ frequenter occurrunt in Decretalibus, sæpius ultro amplectuntur & recipiunt.

Antequam vero materiam aggrediamur, *Primo* necessarium est præmittere duas summas, & totius Juris Canonici præcipuas divisiones, ad quas sæpius in progressu recurrendum erit. *Secundo*, de Collectione Decretorum Gratiani tractabimus plenius, & desinemus in variis Collectionibus Decretalium, earum Autoribus, tempore, & methodo, explanandis; quia ex illis Collectionibus tandem Gregorius IX. postremam hanc nostram, opera Raymundi a Penna forti composuit, cujus gratia aliquos Tractatus conscribere instituimus, majoris operis specimen & δεῖγμα.

§. II.

(*) Libertates a privilegiis separandæ, Coquillius in *præfatione hist. Nivernensis pag.* 18.

D

§. II.

Duæ totius Juris Canon. partitiones; ratione materiæ: in ea quæ sunt fidei, & quæ sunt disciplinæ; ratione formæ: in jus scriptum & non scriptum.

Ut a divisionibus incipiamus; *Jus Canonicum dupliciter dividimus*, vel ratione materiæ, argumenti, sive subjecti; vel ratione formæ. (†)

Ratione materiæ Jus Canonicum, vel ad fidem, vel ad mores, seu disciplinam Ecclesiasticam formandam vel componendam pertinet. Quæ ad fidem pertinent, continentur symbolis, sive formulis fidei, Synodicis Epistolis vel etiam Decretis, seu Anathematismis contra hæresim & hæreticos factis. Hujusmodi sunt Nicænæ διατυπώσεις apud Gelasium Cyzicenum; (*) duodecim Anathematismi Cyrilli contra Nestorium in Synodo Alexandrina editi, qui male vulgo in plerisque Codicib. tribuuntur Concilio generali Ephesino: itemque decreta in Synodo V. sub Justiniano edita. Illæ omnes species, generali nomine Dogmata appellantur.

Quæ ad mores spectant, Canonum nomine specialiter designantur. Unde frequens in Conciliis & Patribus, Dogmatum, & Politiæ distinctio.

Ex hac divisione, duæ regulæ certissimæ eliciuntur. *Prima*, in his quæ sunt fidei, Ecclesias omnes debere convenire: fidem unam integram apud omnes esse o-

(†) Conf. supra Differtat. *de Orig. art. & aut. Jur. Can. Part. I.* §. 1. 2, 3. S.

(*) Διατυπώσεις illas quidam censent esse figmenta Gelasii, Blondetus & similes.

oportere: & ut loquitur Tertullianus initio *de Virginib. velandis*, *Regula fidei una omnino est, sola immobilis & irreformabilis; huic nihil addi, vel detrahi potest.* Quare propter ejus dignitatem in Conciliis semper de fide primo tractatur, antequam de moribus & politia quæratur. *Secunda regula:* Quæ ad disciplinam & conversationem, seu politiam Ecclesiasticam spectant, vel in totum immutare licet, vel pro parte; vel in gratiam Regni, Provinciæ, Loci, vel Temporis, singulari privilegio dispensare, non tamen privata autoritate, sed publica; eorum nempe, qui Ecclesiæ præsunt; præterea accuratissima causæ cognitione præcedente, *can. 14. & 15. & 16. Causa 1. Quæst. 7.* Prudentissime veteres secutus Juo Carnotensis, in *doctissima præfatione sua Collectionis; In his quæ propter rigorem disciplinæ, vel muniendam salutem, posterorum sanxit diligentia, si honesta, vel utilis consequatur compensatio, potest præcedere autoritate præsidentium diligenter deliberata dispensatio.* Idemque sentit Eulogius Alexandrinus Patriarcha in *fragmentis libri de Dispensatione, seu Oeconomia Ecclesiastica*, apud Photium in *Bibliotheca:* ubi notandum, falli Interpretem, qui ubique *Oeconomiam* interpretatur, Incarnationem. Quibus accedat Bernardus in *libro de Præcepto & Dispensatione*, *cap. 3. 4. & 5.* In his duobus, fide & politia, verum laborem & studium utile Theologiæ constituit S. Chrysostomus *lib. 4. de Sacerdotio cap. 4.* & rejicit ac damnat reliquas inutiles & curiosas tractationes, suo tempore, sicut & nostro frequentes nimis ἐφεσχελίας, pag. 73. & *tomo 4.* editionis Parisiensis pag. 77. Et

Et quidem in his, quæ ad fidem & dogmata; nulli parcendum asperrime agunt Apostoli: in his, quæ ad mores; benignius & mitius: idem S. Chrysostomus *in 1. ad Corinth. cap. 11. tomo 5.* prædictæ editionis, pag. 291. & 292. & in *præfatione Canonum* Theodoretus in *epistola præliminari.*

Secunda divisio ratione formæ: Jus omne Canonicum, vel venit ex scripto, vel sine scripto, & ut ait Isidorus in *Canone 3. Dist. 1. omne jus legibus, & moribus constat*, Legis nomine latissime sumpto; ita ut omnes species juris scripti comprehendat: cujus duæ sunt partes summæ, & generalissimæ; *Sacræ Scripturæ & Canones.* Sacræ Scripturæ veteri & novo Testamento continentur. Canonum triplex est subdivisio: sumuntur enim vel ex Conciliis, aut Constitutionibus Pontificum, aut ex dictis Patrum, *Leo IV. in can. 1. Dist. XX.* ubi hunc ordinem servat. Præferuntur sacrorum *Conciliorum Canones.* Sequuntur *Decretales Epistolæ, seu Decretalium regulæ*, quæ, ut ait, *cum Canonibus apud nos habentur.* Postremo *ex Patrum scriptis excerpta* subjiciuntur; quæ non parem habent vim, qualem Canones Conciliorum vel Constitutiones Pontificum. Idem ordo & in veteri Codice Canonum Ecclesiæ universæ servatur, quem Leo IV. in *dicto can.* significat: eundemque Gratianus sequitur, ut constat ex *Dist. XV. XVI. XVII. XVIII. XIX. & XX.*

Primo enim agit Gratianus de Conciliis. Secundo de Constitutionibus Pontificum. Tertio in *Dist. XX.* de dictis Patrum.

Primus apud Græcos *Theodoretus* in *Collectione* Ca-

Canonum, quædam ex *Epistolis* Basilii retulit. Theodoretum Collectores Græci secuti, ex aliis Patribus Græcis multa desumpserunt, Dionysio Alexandrino, Petro Alexandrino, Gregorio Thaumaturgo, & aliis, qui enumerantur in *Can. 2. Synodi VI. in Trullo.* Apud Latinos pariter, in Collectionibus postremis, Burchardi, Juonis, Gratiani, & aliorum, quæ nondum sunt editæ, multa desumuntur, non tantum ex dictis Patrum, sed etiam ex Jure Civili, *Pandectis*, *Codice & Novellis Justiniani*, *Cod. Theodosiano*, imo & ex *Capitularibus* Regum nostrorum.

Hactenus hæc de variis speciebus Juris Canonici, quod venit ex scripto. Juris non scripti unica est species, Consuetudo, sive Traditio. Traditio vero, aut universalis & totius Ecclesiæ; vel particularis, & propria est unius Ecclesiæ. Nec obstat eas traditiones postea in scripta redactas fuisse, & per consequens Juri scripto videri tribuendas. Origo est inspicienda, qua hoc jus tacito & illiterato consensu, ab initio paulatim receptum est usu: sicut in Jure Civili Jus non scriptum, & moribus introductum dicitur; postea tamen a Jurisconsultis scriptis comprehensum. De quo jure non scripto vide *Dist. I. & XII.* Unde colligimus male Gratianum in *can. 5. Dist. I.* distinguere: Consuetudinem in scriptis redactam, vocari Jus; quæ vero in scriptis non est redacta, generali nomine Consuetudinis censeri.

§. III.

De Collectione Gratiani, quæ Decreti nomine venit, & prima pars est Corporis Juris Can.

Nunc

Nunc de Gratiani Collectione agendum, (*) quæ videtur absoluta tempore Eugenii III. circa annum 1150. vel 1151. ut ait glossa Hugutionis veteris Interpretis Decreti, ad *can. post appellationem*, *vers. ego Ancelinus* Causa 11. Q. 7. ibi, *dicit Hugutio, quod hic est falsa litera.* Forsterus etiam in *vitis Jurisconsultorum*, ex ipsius Gratiani tumulo Bononiæ, & Correctores Rom. in *præfatione Gratiani:* quibus adde omnino Antonium Augustinum *Dialogorum de Emendat. Gratiani lib. I. cap. 1. & fusius lib. 2. cap. 9.* Observandum vero, falsum esse, quod Trithemius scribit in *vita Gratiani*, & in *Chronico Hirsaugiensi* pag. 184. quem & alii deinde multi postea secuti sunt, Collectionem Gratiani Eugenio III. oblatam fuisse, & ab eo confirmatam. Non extat hujusmodi confirmatio. Quare recte nihil de hujusmodi confirmatione Gratiani, in Editione Romana, sub Gregorio XIII. edita, qui inchoatam Gratiani emendationem sub Pio IV. & V. feliciter consummavit, divina quadam providentia, ut qui primo Antecessor Bononiensis Jus Canonicum erat interpretatus; Cardinalis postea, a Pio IV. fuerat delectus inter eos, qui primi Gratiani emendationi vacarunt; tandem factus Pontifex, operi utilissimo ultimam manum imponeret. Prodiit itaque & emendatior & melior longe Gratiani Collectio sub Gregorio XIII. nec ideo tamen ab eo publica autoritate confirmata est; (**) ita ut robur

(*) Conferendus hic omnino est Petrus de Mastricht *in hist. Jur. Eccl. n.* 294. *seqq.* S.

(**) Expressis hoc factum esse verbis nemo probare po-

bur haberet in judiciis, sicut Collectio Decretalium Gregorii IX. quam in scholis prælegimus, de qua deinde dicetur. Ex his colligimus, canones qui citantur ex Gratiano, non omnes habere eandem vim & potestatem; recurrendum esse ad originem & fontes, unde manarunt. Alio enim jure censentur ea, quæ ex Conciliis, alio quæ ex Constitutionibus Pontificum, alio quæ ex dictis Patrum, *can. 1. Dist. XX.* Quam in rem vide Judicium accuratissimum Antonii Augustini, in *Præf. ad Canones pœnitentiales.* Quin, ut supra notavimus, multa ex Jure Civili Gratianus retulit, quod primum in judicia & scholas circa ea tempora restitutum erat in Italia, a Lothario Saxone Imperatore, suasione Mathildis Comitissæ; *Chronicon* Abbatis Uspergensis *in fine vitæ Lotharii;* Postremo observandum, multa ex incertis, & suppositi-tiis scriptis inseruisse Gratianum in suam Collectionem, quæ occasionem dederunt emendandi, ut diximus; & doctissimo Augustino scribendi *duos libros de Emendatione Gratiani.* Ante Augustinum & Romanos Correctores, id Ant. Demochares viderat; fu-

potest. Sed Card. Tuschus *in Pract. Concl. T. II. concl.* 110. *verb. Decretum Canonicum Gratiani an sit liber authenticus p.* 276. bene monet, hodie decretum sine dubio probare, cum Gregorius XIII. illud approbaverit, dum in bulla sua impressoribus concessa illud cum Decretalibus, Sexto & Clementinis appellat Corpus Juris Canonici. Sed pluribus iisque solidissimis rationibus auctoritatem Decreti vindicat Consultiss. Böhmerus *in Jur. Eccl. L. I. T. II. §. 17. seqq.* S.

fuſe vero Ant. Contius, in *Præfatione ſua* ſignificaverat; quam ideo mutilavit Antverpienſis librorum Cenſor; qui ex ea breve tantum nobis fragmentum reliquit; qua de re merito conqueritur Contius *lib. 1. Lection. ſubſeciv. cap. 10. in fin.* Veſtigia tamen fraudis ſuperſunt in fine *Præfationis ſecundæ* Contii, in qua aperte profitetur apocrypha & commentitia plurima Gratianum ſuæ Collectione admiſcuiſſe: quod & repetit in *notis ad can. Septuaginta Diſt. XVI.* & ad *inſcriptionem canonis 2. Diſt. XXI.* ibi: *Item Anacletus.* Ubi quod inducitur Contius, *Majorem ſe requirere probationem* quod forte Demochares dixit, vel Antverpienſis Corrector; ipſe præſtiterat in *ſua Præfat.* mutilata poſtea, ut diximus, ſicut oſtendunt notata ab eodem, *ad d. can. Septuaginta, ad can. 1. & can. judicantem XXX. Quæſt. 5.* Quibus ex locis illuſtrantur valde, quæ ſcribit doctiſſimus Auguſtinus, *lib. 1. de Emendat. Gratiani, cap. 20.* in fine. Conſtat tamen eum falli, cum ait, *ea verba mihi videntur Molinæi eſſe, non Contii.* Sunt enim revera Contii, & ipſe Contius ea ſibi aſſerit, ſi loca omnia, quæ citavimus ſupra ex editione Antverpiana diligenter comparentur. Romani Correctores, notas Contii ad dictos canones omiſerunt: cautius ſane, quam Antverpienſis Cenſor, qui Præfationem quidem mutilavit; notas vero ſupra citatas imperite reliquit, quibus idem dicebatur, quod in Præfatione. (Notandum Contii editioni notas ex editione Democharis plures admixtas fuiſſe in editione Antverpienſi absque delectu; ita ut non raro inter ſe pugnantia inſerantur. Nec enim eadem ſemper fuit ſententia

De-

Democharis,quæ Contii; qui Contius & longe eruditior,& ingeniosior erat.) Observandum præterea, quod certe etiam notavit Azo *ad tit. ne fidejuss. dotentur. Cod. in decretis non licere argumentari ex rubricis ; quia sunt ipsius Gratiani , aliter quam in Decretalibus, Dig. & Codice.* Imo adde ; nec Conciliationes, quas vocat Gratianus discordantium Canonum,& quæ adnotavit de suo, ampliorem vim habere, quam alicujus Doctoris atque Magistri, non autem Legislatoris. Postremo merito Gratiani methodus improbatur a viris doctis : permixtim enim, & confuse multa tradit. Suam vero Collectionem inscripsit Concordiam discordantium Canonum: componere enim solet, & conferre plures Canones, vel re vera , vel in speciem pugnantes, & eos conciliare.

Universum opus in tres summas partes divisit. Distinctiones, causas, & Tractatum de Consecratione. Quæ prima divisio plana est & facilis , ad exteriorem tantum operis Formam, & ad citationum usum potissimum accommodata : nec habet opus longo sermone.

Partitionem secundam, ratione Materiæ, pluribus declarabimus. Majoris est utilitatis & difficultatis: continet enim non tantum consilium , & institutum Autoris ; sed etiam introductionem quandam suppeditat ad opus universum, cujus per indicem nobis exhibet cognitionem. Verum ne videamur nimis ingeniosi , & anxii in alieni operis enucleanda methodo, Gratiani mentem, ex ipsius verbis, variis ex locis Decreti collectis ; itemque ex annotationibus

ve-

vetustiorum Interpretum, ita breviter indagabimus, ut paucissima de nostro intermisceamus.

Distinctionibus viginti primis quid Gratianus tractaverit,& quid sequentibus, usque ad centesimam & ultimam tractaturus sit, aperte explicat initio *Dist. XX. Decretis ergo Romanorum Pontificum, & sacris Canonibus Conciliorum, Ecclesiastica negotia, ut supra monstratum est, terminantur.* Viginti distinctiones illas explicavimus fere, Libro singulari in eam rem edito, *De Origine, Arte & Autoritate Juris Canonici.* Subjicit Gratianus loco eodem. *Ministri vero Sacrorum Canonum, & Decretorum Pontificum, sunt summi Pontifices, & infra Præsules, & reliqui Sacerdotes: quorum institutio est in veteri Testamento inchoata; & in novo plenius consummata, &c.*

Iterum initio *Distinct. XXIII. Breviter quæ inter Ecclesiastica officia sit differentia, monstravimus. Nunc a summo Pontifice incipientes, & usque ad ultimum gradum descendentes, qualiter quisque eorum debeat ordinari, Sanctorum autoritatibus ostendamus.* In *Can. ult. Dist. c. 1. Hactenus de electione & ordinatione Clericorum tractavimus. Nunc ad Simoniacorum ordinationes transeamus.* Recte itaque Gratianus, & primæ Collectionis compilator, Bernardus Circa, a Distinctione vigesima prima incipere Tractatum ordinandorum (*) asserunt, & desinere in *Dist. centesima pri-*

(*) *Prima pars Decreti vulgo tractatus Ordinandorum sive de Ordinationibus vocatur. Tractat vero XX. primis Dist. de Origine, autoritate, & variis Juris Canonici speciebus: Reliquis Dist. de Clericis & eorum va-*

prima. Hæc de primæ partis in distinctiones, divisione.

- Obscurius & perplexius digessit Gratianus Secundam partem, quæ in Causas, & Quæstiones resoluitur. Glossa seu Interpres vetus supplevit, quod omisit Gratianus initio Causæ primæ, his verbis: *Expedito Tractatu de Ordinationibus, promotionibus, & officiis Clericorum; accedit Gratianus ad negotia, quorum quædam sunt civilia, quædam criminalia, in quorum persecutione, majora minoribus præponit. Et quoniam omnia crimina respectu Simoniæ nihil reputantur, ut infra ead. Q. 7. patet; ideo de ea præmittit, quærens, An sit peccatum, spiritualia emere? &c.* In fine *Q. 7. Causæ primæ* ita Gratianus ipse. *His breviter præmissis, ad ea veniamus, quæ Ecclesia severitate disciplinæ parata est ulcisci, ostendentes quibus accusantibus, vel testificantibus, quilibet sint convincendi; quo judice quisque debeat condemnari, vel absolvi: si causa vitiata fuit, quo remedio possit sublevari: si accusatores defecerint, an reus sit cogendus ad purgationem. Et ut facilius pateat quod dicturi sumus, &c.* Ita vero Glossa ad *d. can. ult. Transitu utitur, scilicet colore Rhetorico, quo dicta dicendis continuat, & dicenda dictis, summatim dicenda perstringens.*

Et

variis distinctionibus, Dignitatibus, Ordinationibus, Promotionibus, Honoribus, eorumque Officiis. Secunda Parte, quæ Causas XXXVI. habet, conjunctim & permixtim tractat de rebus & negotiis; criminalibus primum, & deinde Civilibus & de Judiciorum ordine.

Et iterum initio *Causæ II. in superiori Causa actum est de crimine Simoniæ: & prius de eo, quod gravissimum est: sed quia crimina sine ordine judiciario puniri non debent; ideo congrue hanc causam annectit. In qua de ordine judiciario tractat, ostendens quod nemo condemnandus est, nisi convictus, vel confessus; & quod spoliatus præter juris ordinem sit restituendus; & qualiter puniantur, qui in accusatione deficiunt, qualiter objecta crimina non probata purgentur, & qualiter sententia relevetur per appellationem; & utrum Laici admittantur ad accusationem Clericorum, & qualiter sit accusatio facienda, &c.*

Initio *Causæ septimæ*, ita Glossa: *supra VI. Q. 3. cap. Denique, facta fuit mentio de Renunciatione Episcopatus, unde Gratianus nactus occasionem subjicit Causam istam, in qua tractat de Renunciatione, & an Prælato vivente, alius sit ei substituendus, & de mutatione sedis, & quibusdam aliis, nempe in Causa septima & octava, quæstionibus variis excutiuntur prædicta materiæ.*

Initio *Causæ nonæ* ita Glossa. *Supra in octava Causa ostensum est de Episcopis, qui usurpant sibi eligere successores. Nunc vero vult tractare de Episcopis excommunicatis, qui præsumunt Clericos ordinare, & de Archiepiscopis, qui damnant Clericos sui Suffraganei, in consulto illo.*

Initio *Causæ decimæ* ita Glossa. *In superiori Causa dictum est quod juris habet Archiepiscopus super suffraganeis suis. Nunc vero supponit decimam causam, in qua ostendit Gratianus, quid juris habeat Episcopus in Ecclesiis sui Episcopatus.*

Ini-

Initio *Causæ undecimæ*, Glossa. *In superiori Causa ostensum est, quod Ecclesiæ cum omnibus suis possessionibus ad dispositionem pertinent Episcoporum: sed quia posset aliquis dubitare, sub quo judice Clerici debeant conveniri; sub Ecclesiastico scilicet, an sub sæculari; ideo Gratianus hanc undecimam Causam subnectit, in qua*, (primum, id est, in Quæstione prima) *ostendit, Clericos sub Ecclesiastico judice esse conveniendos.* In 2. vero & 3. plenissimè de sententia excommunicationis & censuris agit; cum quibus Causam XXIV. jungere præstabit, ut et Causam XXVI. in qua de reconciliatione excommunicatorum & pœnis morientium.

Ab *undecima* itaque *Causa* redire videtur ad ordinem & formam judiciorum, quem *a Causa secunda* inchoaverat, & intermiserat, insertis Causis quatuor alio pertinentibus, *septima, octava, nona, decima.*

Argumentum vero, & subjectum *Causæ duodecimæ* ita Glossa proponit. *In undecima Causa, Q. 1. can. Inclita, & can. Placuit 41. scilicet & 42. Introduxit Magister Gratianus Clericos litigantes de rebus propriis. Sed quia posset dubitari, an Clerici debeant habere propria, quia prædecessores eorum omnia habebant communia; de quibus dicitur: Multitudinis credentium erat cor unum & anima una, nec quisquam eorum aliquid suum esse dicebat, sed erant eis omnia communia: ideo supponit hanc duodecimam causam, in qua ostendit, an Clerici propria possint habere? & annectit, de alienatione rerum Ecclesiæ, & utrum liceat condere testamenta?*

Initio *Causæ decimæ tertiæ*, Glossa. *Supradictum fuit in duodecima Causa, quod quidam Clerici non de-*

debent habere propria: sed aliquis quæreret, unde vivere debent? Ostendit Gratianus, quod de decimis & oblationibus, vivere debent. Sed quia de decimis, & oblationibus, & sepulturis, sæpe oritur contentio inter Clericos, & etiam Laicos: ideo subnectit Gratianus hanc decimam tertiam Causam, in qua ostendit, quid de decimis & oblationibus, & sepulturis observandum.

Initio *Causæ decimæ quartæ*, Glossa. *Supra in proxima causa Clerici introducuntur litigantes de Spiritualibus. Nunc autem subnectit Gratianus hanc decimam quartam Causam, in qua introducuntur litigantes de Temporalibus, ostendens, qualiter Clericis liceat repetere sua, & an domestici testes sint admittendi, vel assumendi. Addit etiam de usuris, & de turpi quæstu Clericis interdicto, & utrum eleemosynæ fieri possunt de male acquisitis.*

Initio *Causæ decimæ quintæ. Supra in proxima causa tractatum est de Avaritia, quæ obumbrat mentem Clericorum: sed quia Incontinentia idem facit, ideo subnectit decimam quintam Causam, in qua de Incontinentia tractat, & de his quæ fiunt mente alienata: & de aliis multis.*

Initio *Causæ decimæ sextæ*, Glossa. *Magister hactenus de statu Ecclesiarum egit, & secularium Clericorum: sed quia religione Monachorum multum decoratur status Ecclesiarum; ideo in sex sequentibus Causis tractat de statu Monasteriorum, & Monachorum. In hac ergo prima Causa agit, de officio Monachorum, ostendens, an valeant officia celebrare, & eorum Capellæ debeant per eos institui. Annectit etiam generaliter de præscriptione tam Ecclesiarum,*

quam Monasteriorum ; & quod nullus autoritate sua rem, quam ad se credit pertinere, valeat usurpare. Addit etiam, quod Laici nullam habent in Ecclesiis potestatem. Omittimus brevitatis causa, quæ in sequentibus Causis, ad statum Monachorum pertinentia specialiter, initio singularum, adnotavit Glossa.

Initio *causæ vigesimæ primæ*, Glossa. *Supra facta interpositione in quinque Causis de statu Monachorum, revertitur Gratianus ad tractatum de statu Clericorum; continuans suum tractatum, ex fine ultimi capituli Causæ vigesimæ, ubi dictum est, quod Abbas non debet habere plures Ecclesias, sive plura Monasteria. Sed quia idem servandum in Clericis, scilicet quod non debent habere plures Ecclesias; ideo hanc vigesimam primam Causam subnectit, in qua ostendit, quod Clerici non debent habere plures Ecclesias, nisi in casibus exceptis.*

Initio *Causæ vigesimæ secundæ. In superiori Causa tractatum est de obedientia Clericorum erga suos Episcopos: sed quia quandoque quis jurat, se suo Prælato non obedire; ideo Gratianus hanc vigesimam secundam Causam subnectit; in qua de juramento tractat, & de mendacio; & quot comites juramentum habeat.*

Initio *Causæ vigesimæ tertiæ. Supra tractatum est de Catholicis, & dictum est, quod non sunt cogendi ad malum. Nunc vero subnectit Gratianus vigesimam tertiam Causam, in qua de Hæreticis tractat, quærens an Episcopi Officio sint cogendi ad bonum? Item quæritur, an militare sit peccatum; & quod bellum debeat dici justum, & quod injustum, & an vindicta sit infe-*

inferenda, & an peccatum sit judici, malos offendere, condemnando scilicet.

Initio *vigesimæ quartæ*, Glossa. *Supra in vigesima tertia Causa tractatum est de hæreticis: sed quia Hæreticorum quidam sunt manifesti, quidam occulti, & quandoque excommunicat Ecclesia hæreticos; ideo Gratianus subnectit hanc Causam vigesimam quartam, in qua tractat de omnibus istis.*

Initio *vigesimæ quintæ*, Glossa. *Expedito tractatu Hæreticorum, subjicit Gratianus vigesimam quintam Causam, in qua tractat de Privilegiis Romanæ Ecclesiæ. Tractatur etiam sæpius in eadem Causa de Juribus & Privilegiis aliarum Ecclesiarum.*

Initio *vigesimæ sextæ*, Glossa. *Expedito tractatu de Privilegiis, supponitur Causa vigesima sexta: in qua tractatur de divinationibus, & reconciliatione excommunicatorum, & de pœna morientium.*

Initio *vigesimæ septimæ*. *Gratianus primo tractavit de Officiis Clericorum; secundo de Causis & negotiis eorum, tertio transfert se ad Sacramenta: sed quia Matrimonium cæteris Sacramentis est tempore antiquius, & usu communius; ideo de illo præmittit.* Sequitur deinde interpretatio Joannis prolixior, quæ continet brevem & elegantem synopsin totius materiæ de Matrimonio: *Et quia de matrimonio sæpe quæritur in judicio, ideo assignando multiplicia ejus impedimenta, tractaturus de eo, continuat decem Causas.* Hæc Joannes: de quo nota lectu digna reperitur, (*) in

(*) De eo plura legi possunt ap. Petr. de Mastricht *in hist. Jur. Eccl. n.* 334. & Doctiss. Böhmer. *in Jur. Eccl. L. I. T. II. §. XXX. p.* 101. S.

in Paraleipomenis seu Auctario, ad Conradum a Liechtenau, vulgo dictum Abbatem Urspergensem ordinis Præmonstratensis, ad *annum* Domini 1256. *Hoc tempore floruit Joannes Semeca Teutonicus, Juris Doctor, qui Herculea audacia primus aggressus est glossare Decretum, quod ante eum nemo; & post eum, nullus excellentius fecit.* Qui secutus est aliquot annis postea, circa annum Christi 1266. Bartholomæus Brixiensis, Collector Glossæ Decreti, ex eo plurima ingenue profitetur se desumpsisse, & in Notis *Joannem* absolute ascribit. Celsi vero animi, & ingenii acuti fuisse, ejus Notæ fidem faciunt, & quæ de eo subjiciuntur, in *dictis Paralipomenis. Hic Clementi IV. Summo Pontifici, tum per Germaniam, sicut Galliam, decimas a Clero in redemptionem terræ sanctæ exigenti, appellationem opposuit: sed Papa excommunicavit, & Præpositura Halberstatensi privavit. Sed erant magni in Germania viri, qui Joannem deserendum non putabant. Mors vero, æquo pulsans pede pauperum tabernas, Regumque turres, hanc litem diremit, & Pontificem ac Præpositum e medio sustulit.* Joannes Andreæ eum reliquis, qui ejusdem nominis plures scripserunt in Jus Canonicum, censet præferendum, non ex ordine, sed ex fructu, in *Præfat. Clementinarum* in verbo *Joannes.*

Initio *causæ trigesimæ tertiæ*; Glossa. *Post Matrimonii impedimenta expedita superius, supponit Gratianus Causam trigesimam tertiam, in qua tractat de impotentia coëundi, & de enormitate delicti, & de tempore Feriarum, & alia quædam annectit.* Et iterum: *Tractavit Gratianus supra de impedimen-*

to

to Matrimonii quod procedit ex animo, & etiam de eo, quod procedit tam ex animo, quam ex corpore conjunctim. Nunc tractat in Causa ista, de eo, quod procedit tantum ex corpore. Tractat etiam de quibusdam aliis impedimentis, ut de frigidis, & maleficiatis can. 1. & 3. & enormitate delicti, ut infra, Quæstione secunda Can. de his & sequentibus; & de tempore Feriarum, ut infra Quæst. 4. per totum.

Ordinis & tractationis interruptæ, si quis alius in Gratiano locus, hic maxime est observandus. A Causa vigesima septima cœperat agere de Matrimonio, cui decem Causas, propter materiæ utilitatem & ubertatem destinaverat: tamen in *Causa trigesima tertia Quæst. secunda, Part. 6. can. 12.* desultat. Ita enim Gratianus ante *d. can.* præfatur. *De pœnitentibus quoque quæritur, an eis generaliter post pœnitentiam peractam, conjugia concedantur? Generaliter enim Canonica autoritate, prohibentur pœnitentes ad sæcularem militiam redire, vel Matrimonia contrahere.*

In sequenti *Quæstione 3.* primæ digressionis occasione levissima rapta, alienum plane a proposita materia de Pœnitentia Tractatum interserit; cujus, licet nimium longæ, intercalationis monitos voluit Gratianus. Ita enim Initio *d. Quæst. Hic breviter decursis, in quibus extra negotii finem, aliquantulum evagati sumus*, (nempe in *2. Quæst. d. Causæ XXXIII.* incidentes tantum quæstiones, & proposito non plane cohærentes, tractaverat; maxime vero *a capite 12. d. Q. 2. ubi 6. pars de Pœnitentibus*) *ad proposita Causæ tertiam Quæstionem pertractandam, qua quæritur,*

utrum sola cordis contritione, & secreta satisfactione, absque oris confessione, quisque possit Deo facere, redeamus. Ita enim uno ductu in MSS. Gratiani exemplaribus, remota distinctionum nota, legi, asseruit Contius, & post Contium, Romani Correctores, his verbis: *Initio d. Q. 3. Gratianus, ad explicandam hanc tertiam Quæstionem multa attulit; quam per longam tractationem, qui eum secuti sunt, in septem Distinctiones diviserunt. In antiquioribus enim exemplaribus, nulla est Distinctionum separatio: in aliquibus vero in margine tantum est, Distinctio prima, secunda, &c.* & iterum ad hæc verba: *Utrum sola. Hæc conjungenda sunt cum superioribus, quemadmodum in pervetustis sunt conjuncta: ab illis enim pendent.*

Gratianus non tanquam erro, sed plane fugitivus, post longas moras & evagationes *de Pœnitentia*, joco, an serio insertas, quia Matrimonium aliquando comes sequitur Pœnitentia; redit ad materiam *de Matrimonio*, in *Quæst. 4. d. Causæ XXXIII.* usque ad *Causam XXXVI.* in qua desinit secunda Pars Collectionis Gratiani.

Tertia Pars & ultima superest, quæ brevissima: huic titulus, *De Consecratione.* In cujus initio, Glossa. *Expleto tractatu Matrimonii, quod est commune omnium Nationum; explicitis etiam variis Causarum conflictibus; agitur de Sacramentis, quæ necessaria sunt ad salutem & hoc ordine. Primo, de Ecclesiarum consecratione. Secundo, de Sacramento Eucharistiæ. Tertio, de solemnitatibus Festivitatum. Quarto, de Sacramento Baptismi. Quinto, de Confir-*

firmatione, & divinis Officiis & Jejuniis; & in fine, de Spiritu Sancto: & sic Tractatus iste in quinque Distinctiones est distinctus. Et notandum quod cum in aliis Tractatibus Magister interseruit suos §§. & solutiones, in hoc Tractatu non nisi duos ponit §§. unum, in prima (nempe in fine *can. 19. & 20.) Hoc ideo, quia de Sacramentis sobrie est loquendum, in quibus etiam vera loqui, periculosum est.*

Ordinem supra expositum ratione materiæ, ipse Gratianus, & primæ Collectionis, qui floruit paulo post Gratianum, Collector; itemque vetustissimi Gratiani sequuntur Interpretes. Ipse Gratianus, ad *can. 6. Necessaria Causa 1. Q. 7. §. Priscis igitur. Require supra in Tractatu Ordinandorum*, intelligit *can. 1. Dist. LV.* & post *can. 48. VII. Q. 1. Tu bonus tolera malum, &c. Infra de tolerandis malis in prima Causa hæreticorum, indicat. can. 2. Causa XXIII. Q. 4.* Gratianus ad *can. 19. de Consecrat. Dist. IV. Diaconos quoque propriam, ut supra, in Tractatu Ordinandorum*, indicat *can. 13. Dist. XIX.* Iterum ad *cap. 20. de Consecrat. Dist. IV.* Gratianus. *Unde Urbanus Papa II. super quibus consuluit, &c. ut supra in Tractatu conjugii, ubi de Compatribus agitur*, indicat *can. super quibus 4. Causa XXX. Q. 3.* In *prima Collect. Decretal. in fine cap. 9. de electione. Illud autem quod de Episcopi consecratione*, indicat *can. 1. Dist. LXVI.* quod & præstantissimus Antonius Augustinus ad eum locum adnotavit. Plura quisque per se poterit exempla perquirere; digitum ad fontem intendisse sufficit.

Quæ de perplexa & sæpius interrupta Gratiani

methodo, prolixius & accuratius disseruimus, deprompta sunt ex variis observationibus, quas diversis temporibus, in usus privatos sedulo adnotaveramus; in præsenti publici juris facimus, in commodum studiosorum. Juvabit tamen meminisse, Gratianum Magistri, Doctoris, & Interpretis tantum, nomen & dignitatem, & apud veteres, & apud recentiores obtinere. Stephanus Episcopus Tornacensis, qui sub Alexandro III. floruit, *Magnum Canonum Interpretem appellat*, *in Epistola 1.* Glossa, & veteres Interpretes, Magistrum, & tanquam in Magistri verba non addicti jurare, nonnunquam ab eo recedunt, & ejus solutiones improbant; quas Canonibus, tanquam emblemata quædam interserit: negant vero alicujus summi Pontificis autoritate, Collectionem Gratiani fuisse confirmatam; sicut monuimus supra. Præstabit trium, summæ dignationis & eruditionis Interpretum Juris Canonici, Durantis, (*) vulgo Speculatoris, Joannis Andreæ, & Panormitani, de Gratiano sententias, ex ipsorum ore, & verbis referre.

Durantes *lib. 2. Speculi, partic. 2. de disputat. & allegat.* in fine, ait Rubricas Juris Civilis & Decretalium esse authenticas, & jus facere. *Secus autem est in Rubricis Decretorum: tum quia alius fuit Conditor Decretorum, & alius earum, tum quia illæ quandoque falsæ reperiuntur*, &c. Idem, ante Durantem, Azonem adnotasse, supra notavimus. *Joannes Andrea*

(*) Durandus proprie dictus non est Speculator, sed Guilelmus Durantes.

drea etiam ad citatum Durantis locum observavit, & plenius explicat ad *cap. 2. de Rescriptis extra*, in hæc verba ultima Glossæ pen. *Et in prædictis juribus contraria loquuntur secundum leges, secus secundum Canones.* Et ibi, *secundum leges. Ergo Canonizatio, non facit eam*, legem, *valere in foro canonico, ex quo canoni contraria reperitur, & est simile*, &c. *Sit ratio, quia Gratianus, ponendo legem in volumine Decretorum, canonem illi contrarium tollere, vel corrigere non potuit. Non obstat, si dicis Librum Decretorum fuisse per Papam approbatum, quia nec hoc constat. Et dato quod constaret; approbatio fuit, quoad Compilationem, non quoad dicta Gratiani, quæ quotidie reprobamus. Et idem in libros Sententiarum, de quo vide quid dicam, de Bigamis, Debitum, super verbo, cognitam. Non obstat quod notatur Secunda Q. 1. In primis verbis, de Persona Januarii, in Glossa secunda: quia ibi lex canonizata est, id est, in Corpore Canonis per Papam inserta, non per Gratianum simpliciter, in volumine Decretorum. Item illa non est contraria canoni, sed legi. Est simile quod dicam de Libro usus Feudorum: infra de Feudis, cap. 2.* Hactenus Joannes Andreæ doctissime. Panormitanus eum sequitur in Procemio Decretalium. *Et Conclusio est, quod, aut quæritur de Rubricis Decretorum: & in illis non est licita argumentatio, quia non sunt authenticæ; tum quia non fuerunt edita a Magistro Gratiano*, (in quo tamen fallitur: nam plerasque edidit Gratianus; imo & illas tanquam suas allegat aliquando, ut supra probavimus) *sed a quodam alio* (quod in aliquibus tantum locis verum esse supra probavimus;) *tum quia a-*

 li-

liqua reperiuntur falsa, & corrupta, ut dicit Glossa, in can. Charta III. Q. 9. quam nota. Et sic excepta prima Rubrica, quæ est authentica, secundum Speculatorem, & Joannem Andreæ, ibidem. Sed non video, unde sumant autoritatem: quia non apparet quod etiam ipsum volumen Decreti fuerit approbatum, ut notat Joannes Andreæ in cap. 2. De Rescript. & patet etiam ex ipsius inspectione Decreti, ubi nec in principio, nec in fine dicitur, quod fuerit approbatum. Item Rubrica prima Decreti non loquitur dispositive, sed tantum fuit posita ad Declarationem Libri. Fateor bene, quod illa Rubrica declarat finalem intentionem illius Compilationis: unde potius debet dici vera, quam authentica. Et recte Panormitanus. Quare æquum est benignos Lectores cognoscere, atque ignoscere, quæ veteres factitarunt, si faciunt novi; & nobis condonare, ubi cum ratione a Gratiano recedimus. Postremo, nec adhuc pœnitet, summi viri Antonii Augustini judicium de Gratiano nos esse secutos: in qua sententia pertendimus, quam plenius explicavimus alias; potissimum in oratione habita publice, *De recta juris Canonici docendi & discendi ratione.* Breviter in eam conjecimus, quæ maxime in Gratiani Collectione cavenda existimamus: ideoque ne quid desit, in fine Tractatuum nostrorum iterum curavimus excudi. (*)

§. IV.

De Collectionibus Decretalium ante Gregorium IX. Pontif.

Ad Collectionem Decretalium Gregorii IX. deve-

(*) Et nos huic Dissertationi adneximus. S.

venimus.(**) Sicut enim Justinianus a Triboniano Codicem componi curavit ex tribus Codd. antiquis, Gregoriano, Hermogeniano, Theodosiano, & ex aliorum Imperatorum Novellis Constitutionibus, quæ post tres illos Codd. fuerunt editæ, & ex propriis præterea, quas plurimas postea promulgarat: Ita etiam Gregorius IX. ex Collectionibus quinque præcedentibus, de quibus sigillatim dicemus, hanc postremam absolvi curavit a Raymundo a Penna forti. Cui Collectioni multas Constitutiones addidit ipse Gregorius, vel emergentibus novis negotiis, vel proprio motu, plerasque ex Jure Civili petitas. *Sane diversas Constitutiones, & Decretales Epistolas nostrorum Prædecessorum, &c.* Quæ ut intelligantur, observandus ordo Antiquarum Collectionum Decretalium.

Prima paulo post Decretum Gratiani composita est a Bernardo Papiensi Præposito, (*) quam ipse *Breviarium extravagantium* appellat; *quod de veteri Jure & novo compilasse*, in *Præfatione* profitetur, ordinem fere Justin. Codicis secutus. Supplementum itaque quoddam Gratiani videtur hæc Collectio;

ideo-

(**) Gregorius circa an. 1227. floruit. Decretales autem edebantur olim Cardinalium assensu; sed hodie eorum assensus non censetur necessarius. Marca *lib.* 1. *de Concordia cap.* 2. §. 7. & 8. Nicolaus de Cusa, *lib.* 2. *cap.* 18. & 21. Imo de majoribus Causis sententiam proferre S. Pontifex non debet, nisi adhibitis Cardinalibus, Ostiensis *ad cap. fin. cui unire, de exces. Prælat. & ad cap.* 2. *de Cler. non resid. & Joa.* Monachi *ad cap. super eum* 4. *de hæret. in* 6.

(*) Conf. Petr. a Mastricht *in hist. Jur. Eccl. n.* 338. S.

(*)

ideoque ad Gratianum Collector aliquando nos remittit, ut *in cap. 9. de Elect. & Elect. potest. in fin. in prima Collect.* ad quem locum vide Notas doctissimi Augustini, & ad verba Præfationis, *De veteri novoque Jure.* Vel enim ex antiquis Conciliis & Patribus addidit quædam Bernardus, a Gratiano omissa; vel novas Pontificum Constitutiones, nempe post Gratianum editas, inseruit. Quare *Extravagantium* Liber appellatur quia extra Decretum Gratiani hujusmodi scripta, & Constitutiones vagabantur. Eamdemque forma respectu Gratiani, possunt vocari Extravagantes, reliquæ omnes Collectiones, tam antiquæ; quas vulgo appellamus, quam nostræ: imo & Sextus Bonifacii, & Clementinæ, & reliquæ, ut recte notavit *Cujacius ad cap. 14. extra de Sponsalibus.* Et quidem recte. Nam omnes illæ Collectiones, sunt quædam Supplementa & Continuationes Gratiani.

Primæ autem Collectionis Decretales novissimæ Alexandrum III. & Lucium III. Autores præcipuos habent & alios usque ad Celestinum III. Antiquiores paucissimæ. Verum primæ hujus Collectionis propositum, & methodus, apertius explicari non potest, quam ex *Nota* veteris Interpretis *Collectionis primæ*, cujus partem tantum doctissimus Augustinus exscripsit, & Vincentio Hispano tribuit. Integram repræsentamus ex Tancredi *Glossis in Collectionem primam*, MS. exemplar nacti, beneficio doctissimi viri *Claudii Menardi, Juliomagi, Andium Proprætoris. Quia non omnia poterant in Decretorum Corpore comprehendi, ut Dist. XIX. Si Romanorum; ideo Magister B. Papiensis Præpositus hoc opus compilavit; cujus intentio est,* di-

diversa extravagantia Romanorum Pontificum, & autoritates Novi & Veteris Testamenti compilare sub titulis. Materia sunt ipsa Constitutiones, seu Decretales. Utilitas, ut sciamus discernere inter æquum & iniquum. Modus agendi talis est. Dividitur opus in quinque partes. In prima tractat de Constitutionibus, & Rescriptis, & Judicibus, & eorum Officiis. In secunda de judiciis & cooperantibus ad judicia, scilicet testibus, instrumentis. In tertia de vita & honestate Clericorum, & rebus eorum. In quarta de sponsalibus, & Matrimonio, & impedimentis eorum. In quinta de accusationibus Clericorum, & criminibus & pœnis eorum.

Secunda Collectio ter a tribus confecta est Gilberto, Alano, & Joanne Vallensi. (*) Prævaluit tamen ea, quam ex duabus Prioribus Vallensis composuit, ex ruinis, ut ait Tancredus, duarum Collectionum Gilberti & Alani, quæ interciderunt. Suspicatur doctissimus Augustinus eam esse Alani, quæ in Conciliorum editionibus vulgo subjicitur, sine nomine Autoris, post Concilium Lateranense sub Alexandro III. Hæc itaque ipsa est quæ secundæ Collectionis nomen

(*) Quæ 12. an. post primam facta est. In ea quædam solent admisceri ex Conciliis & Patribus, de veteri Jure; sicut & in prima Collectione ad Supplem. Gratiani. Continet itaque Constitutiones Alexandri III. & seqq. Pontificum, potissimum vero Celestini III. qui anno 1198. obiit mense Januario. De hac Secunda Collectione v. Petr. a Mastricht *in hist. Jur. Eccl. n.* 346. S.

(*)

men obtinuit; quamvis aliquando vetustissimi Interpretes meminerint Extravagantium Alani, ut notat Augustinus, in *Notis primæ Collectionis ad cap. 13. tit. 1. lib. 3.* quia vel aliquid diversum, vel plenius in ea continebatur.

Tertiam Collectionem ex Registris Innocentii III. Bernardus Compostellanus fecerat, quæ non recepta. (*) Itaque tres illæ privata autoritate, a privatis Magistris compositæ fuerunt. Primus Innocentius III. aliam, *quam vocamus Tertiam*, confici jussit, & autoritate publica munivit: quæ sine scrupulo, tam in judiciis, quam in Scholis reciperetur. Composita est ex Libris duodecim Registrorum Innocentii III. in qua conficienda opera Petri Beneventani Diaconi & Notarii sui usus est anno 12. Pontificatus sui, ut constat *ex Præfatione dictæ tertiæ Collectionis*, quæ Confirmationem continet. Meminit etiam hujus Collectionis *Chronicon Urspergense*, & Tancredus in optimo fragmento, edito a doctissimo Bosqueto in *Notis ad Registrum Innocentii III.* pag. 48. Hanc tertiam Collectionem Glossa *in cap. 18. De Præbendis & Dig.* in verbo, *Confirmationem*, vocat absolute, *Innocentii Compilationem* ex qua citat *cap. 1. de re judic.* quod reperitur eodem ordine *in tertia Collectione.* Notandum præterea, dubiæ & incertæ esse fidei primam & secundam Collectionem. Hoc amplius Tancredus notat, quasdam falsas esse insertas Decretales, quæ in Registris non extant. Junge Tancredi notam, quam subjecit Augustinus, in fine

(*) V. Petr. a Mastricht *d. tr. n.* 349. S.

fine *Notarum primæ Collectionis*. Id ipsum Præfatio tertiæ Collectionis subindicat. Quasdam tamen ex his, quæ falsæ dicuntur a Tancredo, in Decretales Gregorii IX. irrepsisse aliquando probabimus; sicut & præpostere *cap. 14. de Renunciat.* tribuitur Honorio, cum sit *Innocentii III.* Extat integrum *in Lib. 13. in Registri Jnnoc. III. Epistola 194.* Habet enim suos nævos postrema Collectio Decretalium. Aliquos in sequentibus Tractatibus indicabimus; sed facile utilium multitudine compensabuntur.

Quartam Collectionem idem Innocentius III. (*) ex Concilii Generalis Lateranensis Canonibus & sequentibus Libris Registri post duodecimum colligi curavit; cujus opera non liquet: nec enim Tancredus, in *frag. supra citato*, ait, *se confecisse Collectionem quartam*, *sed tantum in Glossis tertiæ Collectionis, quas scribere parabat, promittit, se adnotaturum, si quid post annum duodecimum Innocentii III.* id est, post Collectionem tertiam, *immutatum fuit, vel ab ipso Jnnocentio, vel a Concilio Generali Lateranensi.* Tertia vero, & quarta Collectio Innocentii solius Constitutiones continent. Hæ quatuor Collectiones antiquæ, editæ sunt ab Augustino; (**) quibus manuscriptis ante Augustinum Contius usus fuerat.

Quinta Collectio (†) promulgata est autoritate Ho-

(*) V. Petr. a Mastricht *d. tr. n.* 351. S.

(**) Sub tit. *Antiquæ Decretalium Collectiones* edit. Jlerdæ 1575. Paris. 1609. fol. & Romæ 1683. in 4. S.

(†) V. Petr. a Mastricht *d. tr. n.* 352. S.

(††)

Honorii III. (††) *& de ipsius Constitutionibus tantum*, ut ipse loquitur in *Epistola ad Tancredum in quinta Collectionis principio*, autore Contio in *Decretalium Præfatione*. Confirmatur autoritate *Joannis Andreæ*, initio *Commentarii ad Decretales Gregorii IX.* Collectio quinta nondum est edita, (**) quam tamen manuscriptam Contius habuit; ex qua quædam adscripsit ad Decretales Honorii, quæ repetita sunt in novissima Parisiensi editione Decretalium. Bernardum ea etiam usum fuisse constat ex specie, quam proponit ad *cap. penult. de ord. cognit. & cap. ult. de Causa possess. & propriet.* Panormitanus quoque, eam habuit, & Dominus Cujacius, ut constat ex Notatis ab eo ad *cap. 63. de Appellat. & ad tit. de frigid. & malefic.*

Nec obstat quod Ostiensis, in *Summa Decretalium*, numeret octo Collectiones, quæ Gregorianam præcesserunt. Si enim Gilberti, & Alani, & Bernardi Compostellani tres, quæ non obtinuerunt, quinque reliquis addiderimus; Octo Collectionum numerus colligetur.

§. V.

De Collectione Decretalium Gregorii IX. Pont. quæ est altera pars Corporis Juris Canon.

Ex Constitutionibus, quæ in illis quinque Collectionibus continebantur, vel ex aliis, quæ omissæ erant

rant

(††) Sedit Honorius X. annis & VIII. mensibus & mortuus est anno 1227. mense Aprili.

(**) Nuper Tolosæ edita est ab Innocentio Cironio A. 1645. in fol.

(*)

rant a Collectoribus, & extra eas vagabantur, vel quæ postea editæ fuerunt, ab ipso Gregorio IX. Successore Honorii III. hæc nostra Collectio Decretalium composita est. (*) Quod in Præfatione satis explicatur, cui tantum Matthæi Paridis autoritatem, in Henrico III. addemus. *His quoque temporibus Gregorius Papa IX. videns Decretalium tædiosam prolixitatem, sub quodam compendio eas eleganter abbreviatas, & collectas solenniter, & authentice per totius mundi latitudinem legi precepit, & divulgavit. Illas autem ab autore ipsarum Gregorianas appellamus, sic incipientes*, Rex pacificus, &c. *In quibus quædam innovavit, ne scilicet illegitimi in Prælatias vel Ecclesiastica beneficia, nisi adepta a Sede Romana legitimationis dispensatione obtineant: sciens inde Curia Romana pro impetratione tali multa emolumenta provenire, sicut ex statuto Innocentii pro dispensatione plurium Beneficiorum obtinendorum.* Intelligit vero *cap. ult. Extra de filiis Presbyterorum & cap. de multa de Præbendis.* Usus est autem opera Raymundi a Penna forti, sui Cappellani, ut ex *Præfatione* constat, scripta anno Christi 1230. Martinus Polonus, qui & Innocenti III. & Honorii compilationem meminit, ita de Gregoriana loquitur. *Hic Papa, per Fratrem Raymundum Ordinis Prædicatorum, Pœnitentiarium, & Capellanum, ex pluribus voluminibus Decretalium compilavit unum volumen, mandans ubique Doctoribus illo uti.* Quæritur tamen, cur Raymundus reti-

(*) De hac pluribus egit iterum Petr. a Mastricht. *in hist. Jur. Eccl. n. 353. seqq.*

Y (*)

tinuerit plerumque principia & prima verba singulorum capitum antiquarum Collectionum; quamvis sensum non perficiant: & ipse Raymundus in Præfatione significaverat se superflua & inutilia resecasse. Joannes Andreæ ad *cap. Nobis fuit de Jure Patronat.* apte respondet. *Quare non incepit Compilator hic Decretalium, deciso verbo, Nobis fuit, sicut supra de appellat. infra de sentent. excomm. Inquisitioni Dic ad hoc & simile: illud principium servatum propter contemporaneos hujus Compilationis, qui prius studuerant, & propter Glossas antiquas, allegantes hæc principia. Unde si, quod absit, hodie mutaretur Gregoriana Compilatio, magna esset nostra confusio, mutare principia Decretalium. Factum ergo, ut remaneret in his notitia, nec turbaretur memoria: & sic non obstat Prooëmium ibi, resecatis superfluis.* Hodie vero editis quatuor Collectionibus, utilitas Principiorum magis apparet.

Antiquarum itaque Collectionum enumerationem facere necessarium visum est. Constitutiones enim integriores reperiuntur in illis. Nam licet Raymundus dicat, *ex his superflua se resecasse* tantum; recte tamen Glossa & reliqui accurati Interpretes veteres ac novi, conqueruntur, vtilia multa resecuisse: imo aliquot utiles Constitutiones prætermisisse. Origines itaque, & fontes Decretalium singularum juvabit inquirere ex antiquis Collectionibus; quod Contius inchoauit primum in editione Antverpiensi; adnotatis etiam quibusdam, vt diximus, ex quinta Collectione manuscripta. In Romana vero editione idem, Franciscus Pegna vir doctissimus, unus

ex

ex ſelectis Correctoribus Romanis, præſtitit accuratius, & adnotauit initio cuiusque Decretalis: de quo ſic Antonius Auguſtinus in *Indice ſelectorum virorum*, qui Gratiani emendationi præfecti ſunt a Pio IV. & V. *In Notis ad Cap. 20. lib. 1. Dialogorum, de emendat. Gratiani in fine. Franciſcus Pegna Hiſpanus, cuius ſunt Additiones Decretalium, ſine nomine, quia Templum Dianæ incendiſſe viſus eſt.* Doleo tamen & moneo, nec abs re, vnicum Gallum Arnaldum Pontacum, & ſero adhibitum: Reliqui omnes fuerunt, aut Itali, aut Hiſpani. Quinta tamen Collectione Honorii non eſt vſus Pegna. Quare ſingularia ſunt, quæ ex ea Contius adnotauit. Neque tamen, vel Contius, vel Pegna, omnes origines indicauerunt Decretalium editarum ante Gregorium IX. Suppleri poſſunt ex *Libris Regiſtrorum Innocentii* poſtea editis, & aliis Scriptoribus. Nam ad Regiſtrorum literam recurrere debemus, vt vel emendetur Decretalis, vel eius autoritas probetur, vt ex Tancredo notauimus ſupra. Quam viam etiam monſtrat Innocentius IV. in Praefatione apparatus ſui in Decretales.

§. VI.

De Collectione Decretalium Bonifacii VIII. Pontif. quæ vulgo Sextus liber in Corp. Jur. Can. vocatur; itemque de Clementinis & Extravagantibus; &c.

Collectioni Gregorii IX. quæ quinque Libris conſtat addidit ſuam Bonifacius VIII. (†) quam ideo ſex-

(†) Poſt Gregorium IX. Sedit Celeſtinus IV. anno uno & 8. menſibus. Poſt Celeſtinum ſedit Innocentius IV.

sextum Librum nuncupavit. (*) Continet selectas Constitutiones tam ipsius Gregorii IX. de cuius extravagantibus videndus Cuiacius ad *cap. penult. & ult. de testibus*; quam aliorum sequentium. In qua Collectione prævalent Constitutiones Innocentii IV. & Gregorii IX. & ipsius Bonifacii: quia sub eorum Pontificatu duo generalia Lugdunensia Concilia habita sunt. Ante tamen Bonifacium VIII. Innocentius IV. Collectionem Decretalium ediderat & promulgauerat, in quam scripsit Ostiensis: quæ appellabatur *extravagantes Innocentii IV.* cujus omnes fere Decretales Bonifacius VIII. in Sextum retulit.

Sic de Sexto Martinus Polonus. *Anno Domini 1297. Bonifacius Sextum Librum Decretalium, quem fieri jusserat, publicavit.* Adde omnino, quæ Joannes Andreæ in fine *Commentarii Regularum Sexti*, ad hæc verba. *Datum Romæ.*

Sequuntur Clementinæ, (†) quas Clemens partim ex Canonibus Concilii Viennensis; partim ex propriis Constitutionibus confici curaverat, tamen morte præventus non publicavit. De qua Collectione ita Martinus Polonus in ejus vita, & Auctor *ejus vitæ* nuper editus. *Anno 1312. die 12. Kalend. Aprilis, in*

IV. Genuensis annis 11. & 6. mensibus qui in Synodo Lugdunensi excommunicavit Fridericum II. Obiit anno 1254. Bonifacius vero VIII. sedit annos 8. obiit anno 1294.

(*) De hac collectione conf. Petr. a Mastricht *in hist. Jur. Eccl. n. 366.* S.

(†) Conf. Petr. a Mastricht *d. tr. n. 371.* S.

in castro de Montiliis, (Monteoux,) *juxta Carpentoractum, ubi Curia tunc morabatur, Papa fecit publicari coram se in Consistorio Constitutiones, quas prius fecerat ordinari, ex quibus decreverat Septimum Librum Decretalium fieri: & exinde cœpit ægrotare. Et sic Constitutiones illæ per quadriennium remanserunt suspensæ, nec expositæ ad communitur habendum, nec ad studia generalia, ut moris est, destinatæ; donec postmodum anno Domini* 1317. *Mense Novembri, per Successorem ejus Joannem fuerunt publicatæ, & sub Bulla ad Studia Generalia directæ.* Plenissime ea de re Glossa Clementinarum, in *illa Præfationis verba: Usuri de cætero in judiciis & Scholis.* Placuit ex illa Glossa quædam verbatim referre, pertinentia ad Canones, quos ex Viennensi Concilio, in Clementinas retulit Clemens V. sub quo Viennense Concilium fuit celebratum. *Circa hoc sciendum, quod Constitutiones Concilii licet non omnes fuerint in Concilio publicata, tamen postea de facto fuerunt publicatæ, & ipsarum habita copia, & jam habebatur, quod ligarent. Et quia patuit aliquas ex illis inepte, aliquas prolixe, aliquas defective compositas, aliquas etiam non expedire: noluit Clemens, quod compositio illa procederet; sed ut fertur, sub excommunicationis pœna mandavit, quod istas habentes, infra certos dies, restituerent Cameræ, vel incenderent, vel dilacerarent etiam easdem. Demum per peritiores fecit illas recenseri, qui aliquas & paucas in totum reservaverunt, aliquas in totum resecarunt, aliquas mutaverunt quoad verba, mente servata, in aliquibus menti & verbis detraxerunt, & addiderunt.*

Et has, licet non sub his verbis in Concilio publicatæ fuissent, voluit sub nomine Concilii reservari, & multas Constitutiones utiles addens, de quibus non fuerat in Concilio tractatum, &c. Vide omnino locum integrum. Autor hujus Notæ Joannes Andreæ, qui in *Clementinas* scripsit ex professo. Adi eundem in prima verba *Præfationis Clement. Quoniam nulla:* & junge quæ idem accurate scripsit ad *Præfationem Sexti*; potissimum ad ea verba: *Earumque Autoribus dubitatur; & sequentia: Abbreviatis, in toto, Mutatis, Correctionibus, Detractionibus, Additionibus, Vidimus.* Ex quibus colligere possumus, quantum sibi summi Pontifices vindicent, non tantum in suorum Decessorum Constitutionibus, sed etiam in Conciliorum Canonibus, Collectionibus Decretalium inserendis: idem nempe Jus, quod Justinianus, in veterum Jurisconsultorum Libris, & Anteriorum Imperatorum Constitutionibus. Hoc feliciores Juris canonici studiosi, quod fontes & origines Juris canonici veteris & novi, fere omnes, cum cura & solertia, non sine sumptu & labore tamen, deprehendere & scrutari valeant. Juris Civilis studiosis, tam beatis esse non licet.

Collectæ postea fuerunt a privatis Collectoribus Constitutiones XX. a Joanne Papa editæ; (†) & Extravagantes quædam communes, nempe a diversis Pontificibus, qui vel ante Joannem XXII. vel postea vixerunt, compositæ. Extravagantes vero, tam Joan-

(†) Petr. a Mastricht *hist. Jur. Eccl. n.* 372. S.

annis, quam communes, sicut & reliquæ Constitutiones Pontificum sequentium, licet a privatis Collectoribus collectæ; tamen habent vim & robur in judiciis, si fides eis adstruatur, vel ex Regiſtris, vel ex Plumbo, & sigilli forma: qua de re vide *cap. 8. Extra de fide Instrum.* & ibi Interpretes, ubi nota ex *antiqua* hæc verba: *De quibus nec per Bullam constitit, nec ipse per Metropoles fuerunt insinuatæ.* Adde *Præfationem Extravagantium Joannis*, scriptam a Francisco de Pauinis; ubi de *Regulis Cancellariæ, & Decisionibus Rotæ:* Quibus junge doctissimum *Tractatum* Francisci Pegnæ, *de Extravagantibus, in fine Directorii Inquisitorum.*

In Gallia notandum, Sextum Bonifacii non habere eandem vim atque reliquas Compilationes, propter graves inimicitias, quæ inter Bonifacium & Philippum intercesserunt: quod & observavit Glossa ad *cap. 16. de Electione in VI.* Ita secundum aliquos Constitutiones istius Compilationis non sunt receptæ in hoc Regno. Quæ verba Glossæ & alia quædam ad Regum nostrorum Regalia pertinentia, Romanos Correctores delevisse, quidam viri docti frustra suspicantur. Nam & in editione Molinæi desiderantur; quæ profecto non omisisset. Vero similius est ab aliquo Gallo Doctore, Glossis fuisse inserta. Quinimo Decretalium nullæ Collectiones publica autoritate in Gallia receptæ fuerunt:(*) & no-

(*) Cur ergo inquies, leguntur in Scholis? Solve ex iis quæ diximus ex Philippo Pulchro in fine *Dissertationis præcedentis.*

notandum quod ait Molinæus, in *Commentario ad Edictum Henrici II. contra parvas datas*, *Glossa 15. num. 1209.* extare in Registris Regiis (sub Philippo Augusto) consilium, ab Eudone Burgundiæ Duce Regi datum, *ne novas permitteret illas Constitutiones Paparum, in Regno suo admitti.* Et certum est nullomodo admitti, in his, quæ ad Jurisdictionem sæcularem pertinent. Imo nec per omnia in spiritualibus, si adversentur Libertatibus & Juribus Ecclesiæ Gallicanæ. Quod mirum non est, cum & Curia Romana non recipiat omnes Decretales; quamvis publicis Collectionibus contineantur. Quæ vero extra Collectiones publicas vagantur, & ab anterioribus Pontificibus sunt editæ, nullam vim & robur habent in Judiciis, Bonifacius in *Præfatione sua in VI.* sub finem. Editæ tantum Constitutiones post publicas Collectiones valent, dummodo de earum fide & publicatione constet, Joannes Andreas in *Notis ad dictam Præfationem.* Quo pertinent quæ supra de Extravagantibus diximus: quibus adde *cap. 8. de fide Instrumentorum.* Nec apud nos valent, nisi publica autoritate, vel usu receptæ fuerint; sicut de quibusdam Regulis Cancellariæ notum; quæ usu & moribus nostris comprobatæ sunt.

In Decretalibus autem componendis eam methodum est secutus Raymundus, quam in antiquis Collectionibus servatam deprehenderat. Nempe Decretalium Collectores Codicis Justinianæi artem secuti sunt. Statim enim, post *tit. de Summa Trinitate*, qui est Primus, partes & species Juris canonici scripti & non scripti, tribus titulis explicantur, de

Can-

Constitutionibus, de *Rescriptis*, & de *Consuetudine*. A quinto vero titulo, usque ad *tit. de Pactis*, de Conditione, Qualitate Clericorum, Ordinationibus, Electionibus, & Dignitatibus tractatur: & pars illa prima, de personis appellari potest. A *tit. de Pactis*, usque ad finem Libri Secundi, tractatur plenissime de Judiciis Civilibus instituendis, Instruendis, & perficiendis: ex qua parte, recte viri docti observant, praxim fere omnem fluxisse. In Tertio, & Quarto Libro, de Rebus Ecclesiasticis agitur, tam Spiritualibus, qualia sunt Sacramenta, quam de Temporalibus, verbi gratia, de bonis Ecclesiasticis, Contractibus, Testamentis. Itemque de mixtis, de Præbendis, atque Dignitatibus, Jure Patronatus, & reliquis. Quia tamen Beneficia Ecclesiastica, & bona, non in personæ gratiam conferuntur, sed propter officium confertur beneficium, ut vulgo dicitur; Clerici enim, Divino cultui, ministeria Religionis debent impendere, *lege 2. Cod. Theodos. de Episcop. & Clericis:* breviter antequam de Præbendis, & bonis Ecclesiasticis tractetur, in *quatuor primis titulis Libri Tertii* traditur, quid desideretur in Clericis, ut recte manus suum peragant, & officii sui admoneantur. Postremo in Libro Quinto, de criminibus Ecclesiasticis agitur, de Accusatione, de Persecutione, Instructione, & forma Judiciorum criminalium; ultimo, de Pœnis, seu Censuris Ecclesiasticis. Ex quibus colligitur expressum esse ordinem Codicis Justinianæi.

Y 5 VII.

VII.

FRANCISCI FLORENTIS,

ANTECESSORIS PARISIENSIS,

ORATIO

In aperiendis Scholis Juris habita VI. Non. Octobr. Anno MDCXXXII.

De recta Juris Canonici discendi ratione.

PRudentissimé vetus & elegans Pöeta in electione arborum, quas in tutelam suam singula Numina susceperunt, Minervæ Judicium cæteris prætulisse videtur. Joui siquidem Quercus, Veneri Myrtus, Phœbo Laurus, Pinus Cibelæ, Populus Herculi placuisse fertur: omnes quidem pulchritudine, proceritate, vel amœnitate gratissimæ, steriles tamen, & infecundæ. Minervæ autem propter fructus, quos fert, uberrimos & humano generi longe utilissimos Olea gratior & acceptior fuit, Ideoque Sapientis nomen meruit. Stulta est enim & inanis gloria, nisi quod facimus, utilitate commendetur. Eadem plane ratione legitimæ scientiæ Professori conveniens, ac necessarium esse arbitror, in aperiendis Scholis, non umbratiles declamationes aucupari; quibus inescantur homines, & auribus tantum parantur insidiæ, animus autem vacuus dimittitur: sed eam orationem habere, ex qua præter animi delectationem & voluptatem, ad auditores aliquis fructus & utilitas redeat.

Operæ igitur pretium duxi, Studiosis Juris Canonici, cujus interpretatio nobis, ex veteri hujus Acade-

demiæ Consuetudine obtigit, quantum equidem potero prodesse. Quod ut re ipsa præstemus, hac oratione, quæ nobis videatur brevissima ac certissima Juris Canonici discendi methodus exponemus Nec ita tamen, ut omnia argumenta sigillatim, & per partes excutiamus; sed summa tantum capita, & in ea materia dominantia perstringamus. Nam si quæcumque ea de re dici possunt, curiosius investigaremus, nullus prope dicendi finis reperiretur.

Sicut in reliquis scientiis ediscendis, ita & Jure Canonico perdiscendo, non admittimus rudem, & imparatum auditorem. In primis edicimus, nihil præcepta, atque artes profuturas, vana, & inutilia fore omnia, quæ deinde præcipiemus, nisi natura & indoles auditoris faveat, sensus communis adsit, & recta ratio, quam necessario in Jurisconsulto desideramus. Qui sensu communi caret procul a Scholis Juris ejiciendus est: neque enim magis illi præcepta proderunt, quam cultura sterilibus agris & arenæ. Non ideo tamen studiosi statim abjicere debent animos: paucissimos enim reperies quibus non insit vis & facultas quædam, ac naturalis potentia percipiendi ea, quæ traduntur a peritis Doctoribus. Id enim hominibus naturale est: & quemadmodum aves ad volatum, equi ad cursum, ad sævitiam feræ genitali motu feruntur; ita propria est hominis mentis agitatio & solertia. Hebetes vero & indociles, non magis secundum naturam hominis eduntur, quam prodigiosi partus & monstra. Ex ipsis quippe rerum argumentis discimus, sæpissime non ingenium & naturam, sed laborem & curam defecisse:

se. Liberalissimam naturam omnes experimur. Quod ab ea postulamus ultro & sponte suppeditat. Verum ei vicissim nos aliquid largiri debemus, nempe Institutionem, & eam quidem non seram sed maturam & accuratam. Excolenda sunt enim a puero & mitiganda ingenia, studio & cultura humanioris literaturæ, quæ Historiæ & Philosophiæ, Dialecticæ præsertim mediocri cognitione, summopere adjuvatur. Mediocrem cognitionem dicimus: si quis enim exactissimam & perfectissimam quæsierit, vix jam grandævi senes, ac ætate defecti in Scholas Juris mitterentur.

Ab his initiis ad Juris Canonici studium licebit accedere. Cujus studii, duas partes constituimus; *vetus & novum*. Veteris principia & fontes in præsenti, non longius arcessemus, quam a Gratiani Decreto, cujus Collectio, sicut opus Pandectarum, ex veterum Prudentum libris; ita ex variis Conciliorum, Pontificum, & Patrum scriptis, eventu quamvis & arte multum dispari, composita est. Jus Canonicum novum, Decretalibus continetur, in quibus Pontificum potissimum, sicut in Codice Imperatorum, Constitutiones & Decreta referuntur.

In utroque, tam veteri, quam novo, quædam studiosis observanda proponemus; non tantum ab antiquis, sed etiam a plerisque recentioribus Interpretibus, vel prætermissa, vel non satis explicata.

In Jure novo Decretalium, hoc est in *Collectione* Gregorii IX. quam solemus in Scholis interpretari publice, antiquorum Interpretum, ex quorum scriptis Bernardus Bononiensis Glossas excerpsit, diligentia vel in-

industria satis commendari non potest. Haud enim contenti Collectione illa, quam interpretandam suscipiebant, ad alias etiam antiquiores animum adjecerunt; sine quibus novas intelligi non posse verissime judicabant. Hos Bernardus, Innocentius IV. Joannes Andreas, & Panormitanus, optimi Juris Canonici Interpretes interdum imitantur: reliqui fere omnes imperite neglexerunt. Comparationem illam exactissimam Collectionum antiquarum, cum nova Gregorii IX. quam necessariam esse toties inculcamus, ex antiquis Interpretibus, ut diximus, viderunt pauci; neglexerunt plures antiqui & novi usque ad nostra tempora; quibus feliciori genio præditi, Antonius Demochares, Joannes Quintinus, Antonius Contius clarissimum olim hujus Scholæ lumen, & postremo Antonius Augustinus, hanc partem strenue adeo tractaverunt; ut Correctoribus Romanis, qui postremam manum operi imposuerunt, tenuissimum spicilegium reliquerint. Diligentiorum exemplo auditores nostros commonemus, ut in Gregorii Collectione legenda antiquas Collectiones semper adhibeant; in quibus Constitutiones Pontificum integriores reperient, quas Raymundus a Penna forti Barcinonensis, Gregorii IX. Tribunianus, passim interpolavit, rescidit, & immutavit; ac sæpe contra mentem Autorum. Quin & nonnunquam necessarias neglexit, & quod nobis Gallis observandum est, quædam in Rescriptis Pontificum, ad honorem & decus gentis nostræ pertinentia, supercilium & typhus Hispanicus cum ferre non posset, prætermisit.

Sufficere forte studioso Juris Canonici comparatio-

nem

nem illam antiquarum Collectionum cum nova Gregorii, Glossarum assiduam lectionem & vivam vocem Doctorum merito quis crediderit; studioso tamen & discipulo. Nam a Magistro, qui lumen præfert & antecedit, aliquid amplius requiritur; exacta nempe cognitio Historiæ Ecclesiasticæ, præsertim a Gregorii VII. nec unius quidem Ecclesiæ, sed omnium, Occidentalium maxime; quæ non ex vulgatis & futilibus quibusque, sed ex æqualibus & coætaneis repetenda est. Quam cognitionem, quia propemodum infinita est, in Doctore tantum desideramus; qui nisi eam, si non summam, saltem idoneam & intra modum assecutus sit, nihilo præstantior erit Magister paulo diligentiore Discipulo. Hæc de Jure novo Canonico, tanquam per indicem attingere visum est; ne subtilior & curiosior disciplinæ ratio re tardet potius, quam promoveat Studiosorum impetum.

A Jure novo sensim ad Jus vetus pervenimus, ordine forte docendi præpostero, non dicendi: Plura enim de Jure veteri præcipienda supersunt. Veteres omnes Juris Canonici Interpretes Latini cognitionem Juris antiqui non aliunde, quam a Gratiano acceperunt; in summa reliquarum omnium Collectionum, tam Latinarum, quam Græcarum ignoratione versati; quarum autores, nec de nomine eis noti fuerunt: quod eorum scripta produnt nimis. Eam ob rem sicut ex aquæ capite turbato, & ex fontibus limosis, rivi liquidi & illimes manare non possunt: ita doctrina, quam veteres Interpretes hauserunt tantum ex Collectione Gratiani, quæ spuria, falsa, suspecta, & mendosa plurima continet, certa, vera, plana, & aperta esse non

non potest. Ac ne videamur vagari cum discrimine alienæ existimationis, designabimus, quid præcipue in Collectione Grátiani cavendum existimemus.

Opus suum Gratianus ex tribus Scriptorum fere generibus composuit: ex Conciliis, tam generalibus, quam particularibus, Orientis, & Occidentis; ex Epistolis & Constitutionibus Pontificum; & ex dictis Patrum, Græcorum simul, & Latinorum. In Conciliorum Latinorum Canonibus inserendis, plerumque non inspectis Libris authenticis, aliorum Collectorum fidem nimium patienter amplectitur: unde seges errorum fertilissima. Idem in Græcorum Synodis admisit; in quibus præterea, non uno & eadem versione, sed pluribus usus, aliquando supine adeo & imperite, ut unum & eundem Canonem, velut diversum, bis & ter repetat, varietate versionis, vel breviationis delusus. Quod vero periculosius est rationum componendorum Canonum, vel revera, vel in speciem pugnantium, eam plerumque inire solet, ut antiqua Concilia, etiam majora & generalia, quibus Ecclesiarum, nostrarum præsertim, jura & libertates continentur, quamvis æquitate summa nitantur, cedant tamen minoribus: & de Conciliorum omnium autoritate securus, dubia nonnumquam & falsa pro certis & veris credulis lectoribus obtrudit. Quin etiam, propter antiquæ disciplinæ rituum, & linguarum ignorationem, identidem cespitat, & labitur.

Hujusmodi autem errores in Conciliis quidem Gratianus, parca manu, raro sparsisse dici poterit, & ut ajunt, χειρὶ, ἀλλὰ μὴ ὅλῳ θυλάκῳ. At in epistolis decretalibus Pontificum, Clementis, Anacleti, Evaristi

sti, Alexandri I. & aliorum, liberalissime, & ἄλλῳ θυλάκῳ: quarum quidem falsas, plurimas, suppositas, & mendosos esse, indicare Studiosis necessarium visum est; quia non tantum hæc a postremis Gratiani Correctoribus sæpe fuerunt omissa; sed etiam a doctissimo Antecessore pridem observata, contra mentem Autoris, & in ejus fraudem, ab imperitis & tragacibus Librariis contaminata partim obelo partim jugulata sunt: ut perspicacibus ostendent satis vulnerum cicatrices, quas incauti mutilatores obducere sunt obliti. Hoc unum equidem in ea re miror, cur Antonius Augustinus Juris Canonici peritissimus, ex incertis hujusmodi Epistolis; excerpta plurima, suæ Collectioni, tanquam vilissimos pannos purpuræ assuerit.

Non majore judicio, & diligentia, ex dictis Patrum, & aliis Scriptoribus desumpsit multa Gratianus. Quæ tamen in his peccavit, fere omnia Romani Correctores accuratissime emendarunt: ideoque supersedemus. Singula enim persequi, quæ virorum doctissimorum diligentiam effugerunt, brevis orationis modus non sinit. Hactenus de Jure Canonico veteri, & novo: quæ diligentex explorata, plurimas traditiones veterum, & recentium Interpretum profligabunt, & inanium Commentariorum onere levabunt.

Cæterum natura & Institutio a puero de qua initio dixi, παιδομαθίαν vocant, & Juris disciplina, qualem modo expressimus, studiosis parum proderunt; nisi præterea labor perpetuus, nec interruptus,

sed

ſed certo & legitimo temporis ſpatio continuatus accedat.

Prudentia majorum & communis Populorum conſenſus, qui ratione & legibus reguntur, Locum opportunum addidit: ut non ubique, ſed in certis tantum Civitatibus Juris ſcientia, publica autoritate doceretur; idque publice, non furtim, in tenebris, & in privatis auditoriis, in quibus pro arbitrio ſuo doctus, & indoctus quilibet, pariter, & ex æquo, docendi Juris fiduciam, in perniciem juventutis aſſumit. Quin & evenit aliquando indoctiorum Magiſtrorum privata Auditoria, majori Diſcipulorum numero celebrari. Quidni? num quid quotidie videmus agyrtarum, & circulatorum theatra multitudine plebis imperitæ circumvallari, ſtupore vulgi, pleroſque ex illa fæce factos nobiles, & potius adiri, quam ſapientiſſimos Medicos? Nimirum ſui ſimiles imperiti trahunt imperitos, qui novam capturam, & novum genus lucri invenerunt, ipſam ignorantiam. *Ἀγνοέουσιν, οἱ πολλοὶ, καὶ κερδαίνουσιν, ὅτι ἀγνοέουσι. Πείθουσι γὰρ τοὺς πέλας.* Incautos vero Juvenes, his fraudibus, & doloſis artibus circumveniunt. Catholica præcepta, Tractatus generales, Compendia, quaſdam ſpecies, quaſdam Antinomias, avidis Sectatoribus ſuis, quaſi manſa in os ingerunt: adeoque verendum eſt; ne quod olim picturæ contigiſſe dicitur, ut perierit, poſtquam Ægyptiorum audacia tam magnæ artis compendiariam invenit; idem & Juriſprudentiæ, longe majori publicæ rei damno, eveniat, pernicioſiſſimo hujuſmodi Breviatorum facto; qui admirabiles Juriſconſultorum libros, & Impera-

Z to-

torum ſanctas Conſtitutiones, in fruſta, & Epitomas ſacrilege diſcerpunt & lacerant.

Nos vero, cruda, & præcocia ſtudia prorſus damnantes, laborum gradus ſtatuendos eſſe profitemur: & ut totam orationem in pauca conjiciamus, ſex in ſtudioſis, ſive Juris Canonici, ſive Civilis requirimus; Naturam, & Indolem; Inſtitutionem a puero; rectam juris diſciplinam; Laborem indefeſſum; Tempus legitimum; & poſtremo locum ſtudiis aptum, & commodum. Scientiarum enim cognitionem, cum iis, quae terra naſcuntur, non inepte comparari poſſe puto. Natura noſtra velut ager eſt & ſolum: Doctorum præcepta ſunt ſemina: Inſtitutio a puero tempus opportunum deſignat, quo ſemina terræ commendanda ſunt: Studium & labor culturæ vicem obtinet: Tempus legitimum hæc omnia confirmat & roborat, vt perfecte enutriantur, & quaſi ingenerentur: poſtremo ſicut aer ambiens benigne fruges educat, eisque colorem ac maturitatem inducit; ita & locus ipſe ad docendum publice conſtitutus alit quodammodo, ac promovet ſtudia Juris, eaque ſaniora ac vegetiora præſtat.

His igitur ſex, tum ad Juris Ciuilis, tum ad Juris Canonici diſciplinam collatis, nihil ad pleniſſimam, & perfectiſſimam cognitionem deerit: niſi uſus & experientia; quae non in Scholis & ab Anteceſſoribus, ſed in Foro a quotidiano Judiciorum ſtrepitu, exercitatione & tritura eſt expectanda.

IN-

INDEX RERUM ET AUTORUM.

Numerus paginam indicat.

Ja-

Er-

Errata.

Præf. Obſ. Sacr.

§. 1. lin. 2. a fine *quæſidæ* l. *quæſitæ*. §. III. lin. 11. *protuſit nibi* l. *protruſit nihil*. Pag. 11. l. 10. *Cauſæ* l. *cauſa*. pag. 17. l. 8. ימח. l. חיים. p. 22. l. 12. deleantur verba, *de Menelao canens*. ibid. lin. 13. ſic lege: Στῆσα δ' ἐν Αἰγύπτῳ ποταμῷ νέας. pag. 31. l. 8. לו. l. לא. p. 43. l. 17. *Ara* l. *Aræ*. p. 74. l. 21. *Mœni* l. *Moſellæ*. p. 107. l. 4. *Cis. Alpes* l. *Cis Alpes*. p. 125. not. (i) lin. penult. *eodem* l. *eidem*. p. 128. not. (n) lin. pen. pro *Uſpergenſem* l. *Urſpergenſem*. p. 213. l. 16. ὀρθοδόκου. l. ὀρθοδόξου. ib. σεβασηίου. l. σεβαςοῦ. ib. lin. 17. λειθουργίας. l. λειτουργείας. ib. lin. pen. Διατυπ. l. Διατυπώσεις. p. 232. lin. pen. *quæ* l. *qui*. p. 237. εὑρεματικὸν l. εὑρηματικὸν. p. 262. not. XX. lin. 4. poſt verbum *monuit* dele punctum. Idem faciendum p. 265. not. lin. antepen. poſt verbum *emiſit*, ibidemque lin. 5. ante ult. poſt *multa* addendum *habet*. p. 291. l. 17. ὑμῶν. l. ἡμῶν. Notulis ad calcem paginarum 105. 113. 125. 127. 178. 180. 192. 194 169. 197. 207. 253. 268. 272. adjectis adde in fine literam S. de cujus ſignificatione conſulenda præfatio.

